DE NONNULLIS HELENAE FABULAE EURIPIDEAE INTERPOLATIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IIII. M. APRILIS A. MDCCCLXXXII, HORA XII.

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS GOGUEL

SILESIUS

ADVERSARII ERUNT:

SEIDEL, DR. PHIL. KLEIN, DR. PHIL.

VRATISLAVIAE

TYPIS S. SCHOTTLAENDERI.

,De nonnullis Helenae fabulae Euripideae interpolationibus' scripturus, quod in universum de fabularum Euripidearum interpolatione verba non facio, nemo vituperabit, multarum enim dissertationum praefationibus tota fere haec quaestio tractata est. Helenam potissimum elegi, quippe qua fabula paene nulla minus virorum criticorum manus experta esset. Pessime autem nobis tradita est, saepius enim loci inveniuntur tam desperati, ut, quid poeta ipse scripserit, nunquam possit indagari. Earum autem fabularum in numero Helena est, quarum cum unus diutissime codex Laurentianus (Florentinus) XXXII, 2 notus esset eiusque apographa, Parisina tria, Venetum unum, Florentinum unum, Prinzius alterum ante hos decem annos in medium protulit, codicem Abbatiae Florentinae 2664. Quem non multum a priore discrepare, utrumque ex eodem archetypo fluxisse docere studuit (n. iahrb. f. phil. CV 1872) p. 525), atque hoc verum esse intellexit, postquam ipse codices inspexit: codex enim abbatiae Florentinae pars abscissa est codicis Palatini 287[1]).

[1]) cf. Robert. in Herm. XIII p. 133 et Vitelli, rivista di filologia VIII p. 514.

‚De Euripideorum prologorum arte et interpolatione‘ Klinkenbergius nuperrime (Bonnae 1881) scripsit, vir acutus ille quidem sed ad proscribendos versus propensior. Qui p. 56 sqq. in Helenae prologo alios secutus versus 5 [1]), 9 sq. verba ὅτι — διήνεγκ', 41, ipse versus 11 sq. recte delet, iniuria v. 26 cum Herwerdeno, 35—43 cum Usenero, ipse versus 66 sq. De hoc postremo loco agam. Etenim versus 66 sq. genuinos, spurium versum 65 arbitror. Idem Schenkelius senserat, cuius studia (kritische Studien zu Euripides' Helene in ztschr. f. öst. gymn. XXV (1874) p. 432 bis 457, vide p. 439) sero mihi innotuerunt. Equidem cum de coacervatis apud Euripidem enuntiatis finalibus disputavissem, qua re maxime coarguitur hunc versum spurium esse tacere nolui. Habemus autem hoc loco duo enuntiata finalia, quorum alterum pendet ex priore, sententiam autem fere hanc praebent: ‚accido ad hoc Protei sepulcrum supplex, ut coniugi meum servet conubium, ne . . . mihi corpus ipsum hic turpitudinem subeat‘. Eandem igitur rem haec enuntiata finalia exponunt, verbis tantum differunt. Iam vero talem narrationem iusto pleniorem si sine altera finali constructione haberemus, ferremus quamvis inviti, sed e consilio quodam paene idem consilium statim elicere ut aliquid novi, eius non est qui cogitet. Auget autem suspicionem, quod non supplicatura sepulcro vel Proteo Helena est, sed nihil aliud ei est illud sepulcrum nisi perfugium quo defendatur a Theoclymeno amoris plenissimo, i. e. ut breviter dicam ἄσυλον, quod quominus laedat summa religione eum teneri non ignorat, cf. etiam v. 1165—8. Hoc ἄσυλον superiores iam spectant versus 60 sqq.

ἕως μὲν οὖν φῶς ἡλίου τόδ' ἔβλεπε
Πρωτεύς, ἄσυλος ἦ γάμων· ἐπεὶ δὲ γῆς
σκότῳ κέκρυπται, παῖς ὁ τοῦ τεθνηκότος,
θηρᾷ γαμεῖν με. τὸν πάλαι δ' ἐμὸν πόσιν κτλ.

---

1) Numeris utor Nauckianis.

mortuo igitur Proteo ἄσυλον Helenae petendum est, illud enim ἄσυλος ἦ γάμων idem atque ‚tuta eram a nuptiis' (sc. aliis) significare Matthiaei filii (Matthiaei lex. Eurip. p. 435) recte monent. At in media fabula Menelaus sepulcrum vel Proteum, ut uxorem reddat, versibus 959—68 orat et obsecrat. Audio. Sed quod sepulcrum eius precibus adit, via tantummodo est et ratio, qua quid Protei filiae faciendum sit moneatur. Id agi ut Helena viro fidem servet, quamquam haec res fabulae fundamentum est, nimis saepe tamen in hoc prologo audimus (cf. v. 32, 48, 59, 63 sq.): cur hoc loco hanc eandem rem etiam bis legamus, ego non intellego. Atque sic arbitror: Euripides in eadem re commemoranda usus fuerat circumlocutione admodum poetica (v. 66 sq.), sed interpolator hanc circumlocutionem retro interpretatus est re ipsa (v. 65). Sed redeo ad rem hercle non neglegendam, quod alterum enuntiatum finale pendet ex priore. Id quod ubi primum vidi, ferri non posse censueram, quod iudicium accurate examinato enuntiatorum finalium apud Euripidem usu plane confirmatum est. Atque tot enuntiata finalia [1]) apud Euripidem exstant a particulis ὡς, ὡς μή, ὅπως, ὅπως μή, ἵνα, ἵνα μή, μή ducta, ut etiam iuxta ponantur et coacerventur. Qui usus quam late pateat, omnes Euripidis fabulas perscrutatus explanabo. Ac primum quidem saepissime inveniuntur loci, ubi duobus verbis iuxta positis singula adiunguntur enuntiata finalia. Neque quemquam haec res offenderit. Cuius generis (I A) sunt hi loci:

Andr. 752—6

ὅρα δὲ μὴ . . . οἵδε πρὸς βίαν ἄγωσί με . . .
σκόπει τάδε, μὴ νῦν φυγόντες εἶθ᾽ ἁλῶμεν ὕστερον.

Hel. 880—5, Her. 336—8, Herc. 327—31, Iph. T. 467—9, 1216—8, (Ion. 76—9) [2]), Cycl. 342 et 5 sq., Tro. 1260—8 (tria enunt. fin. hoc loco exstant, quorum alterum (v. 1265) intercala-

---

[1]) Tachau in diss. Gotting. a. 1880 ‚de enuntiatorum finalium apud Euripidem ratione atque usu' p. 73 quot enunt. fin. in singulis fabulis legantur refert: Alc. 8, Med. 16, Hipp. 19, Her. 9, Hec. 30, Andr. 27, Suppl. 20, Herc. 29, El. 26, Tro. 28, Iph. T. 31, Ion. 29, Hel. 36, Phoen. 25, Or. 34, Iph. A. 33, Bacch. 17, Cycl. 18, Rhes. 8: summa omnium est 443.

[2]) Ion. 77 Herwerdenus iure mihi videtur damnare in commentario p. 80.

tum est, cf. II B.), fr. 781, 45—9, Phoen. 270—3: prius enunt. finale pendet ex verbo timendi, verborum enim timendi constructiones vere sunt finales, quippe cum rei quam timeant ut fiat contrarium Graeci (et Romani) sese curantes faciant.

IB. Paene eadem res est, si alterius verbi ‚finiti' loco participium legitur verbo finito ipsi adiunctum, etenim si contractam structuram resolverimus, duo verba finita habebimus atque inde pendentia singula enuntiata finalia: Or. 799—802

ἀλλ᾽ ἔπειγ᾽, ὡς μή σε πρόσθε ψῆφος Ἀργείων ἕλῃ
περιβαλὼν πλευροῖς ἐμοῖσι πλευρὰ νωχελῆ νόσῳ·
ὡς ἐγὼ σε δι᾽ ἄστεος σε σμικρὰ φροντίζων ὄχλου
οὐδὲν αἰσχυνθεὶς ὀχήσω.

sic solvimus: ἀλλ᾽ ἔπειγ᾽, ὡς μή σε . . . ἕλῃ, καὶ περίβαλε . . . ὡς ὀχήσω. Adde Herc. 38—43, El. 95—100.

II. Etiam uni verbo addita invenio uno plura enuntiata finalia. A. Atque ratio huius rei talis esse potest, ut e diversis rebus (aut personis) eidem verbo attributis enuntiata finalia pendeant diversa. Cuius generis duae formae nobis occurrunt. Etenim dividitur in partes diversas aut (a) agens persona ipsa verbi aut (b) obiectum: unde diversa pendent.

a) Suppl. 232—6

οἵτινες τιμώμενοι
χαίρουσι πολέμους τ᾽ αὐξάνουσ᾽ ἄνευ δίκης
φθείροντες ἀστούς, ὁ μὲν ὅπως στρατηλατῇ,
ὁ δ᾽ ὡς ὑβρίζῃ δύναμιν εἰς χεῖρας λαβών,
ἄλλος δὲ κέρδους οὕνεκ᾽

b) Suppl. 203—10.

B. Deinde duo enuntiata finalia inveniuntur ad unum verbum ita apposita, ut alterum ex hoc verbo pendeat, alterum non pendeat, sed intercalatum sit, id quod hoc modo interpretandum est, ut cogitando tale verbum subaudias quale λέγω.

Tro. 1265—8

ὑμεῖς δ᾽, ἵν᾽ αὐτὸς λόγος ἔχῃ μορφὰς δύο,
χωρεῖτε, Τρώων παῖδες, . . .
πρὸς ναῦς Ἀχαιῶν, ὡς ἀποστέλλησθε γῆς.

Adde Hec. 1243—5.

III. Venio nunc ad summam quaestionem: exstantne apud Euripidem enuntiata finalia ita posita, ut alterum priori adiungatur? Atque praeter illum Helenae locum (v. 65 sqq.), de quo cur dubitemus res permultae et gravissimae se offerunt, quattuor loci inveniuntur, qui me refutare videantur. Velim eos mecum inspicias.

1) Iph. A. 878—81

ΚΛ. ἐκ τίνος λόγου; τίς αὐτὸν οὑπάγων ἀλαστόρων;
ΠΡ. θέσφαθ', ὥς γέ φησι Κάλχας, ἵνα πορεύηται στρατός,
ΚΛ. ποῖ; τάλαιν' ἐγώ, τάλαινα δ' ἣν πατὴρ μέλλει κτανεῖν
ΠΡ. Δαρδάνου πρὸς δώμαθ', Ἑλένην Μενέλεως ὅπως λάβῃ.

Videtur tantum haec esse enuntiatorum structura: ‚oracula (eum) adducunt (ad illam necandam), = oraculis adductus illam necat, ut exercitus proficiscatur, ut Helenam Menelaus recuperet'. Sed aliquanto aliter res se habet. Prius enim enuntiatum finale nudum verbum πορεύηται praebet, sed de ea re, quae alterius enuntiati finalis fons est, plane tacet: q u o proficiscatur, in versu 879 non legimus. Atque eo demum quod quo proficiscatur Clytemnestra interrogat interrogatusque senex respondet ‚Δαρδάνου πρὸς δώμαθ' alterum enuntiatum finale elicitur. Pendet igitur ὅπως λάβῃ non tam ex (ἵνα) πορεύηται quam ex Δαρδάνου πρὸς δώμαθ' sc. πορεύεται, quod verbum subaudiendum est. Proinde hunc locum adnumera generi I A.

2) Phoen. 383 sq.

ὅπως δ ἔρωμαι, μή τι σὴν δάκω φρένα,
δέδοιχ' ἃ χρῄζω.

Sic iungendum est: δέδοιχ' ὅπως ἔρωμαι (ἃ χρῄζω), μή τι σὴν δάκω φρένα. Neque vero finalem, sed prorsus relativam vim ὅπως hoc loco habet: ‚vereor quomodo interrogem', paene idem significat atque ‚vereor interrogare', ergo una, cuius partes seiungi non possunt, est structura. Habemus igitur exemplum, quod qua ex origine omnia enuntiata finalia sint profecta doceat, finales enim omnes particulae (excepto μή), si originem respicimus, pronominum relativorum (interrogativorum) adverbia sunt. Iam ad illud ‚vereor interrogare' illa addit, quid timeat: ‚ne animum tuum offendam'.

3) Phoen. 92—5.

ἐπίσχες, ὡς ἂν προυξερευνήσω στίβον,

μή τις πολιτῶν ἐν τρίβῳ φαντάζεται
κἀμοὶ μὲν ἔλθῃ φαῦλος ὡς δούλῳ ψόγος,
σοὶ δ' ὡς ἀνάσσῃ.

Hic locus, qui eum intellegere et interpretari conarentur sic scriptum, omnes elusit. Ac primum quidem maxime offendit, quod idem μή aut in duobus enuntiatis se excipientibus particulaque καί coniunctis finali vi usurpatum cum modis deinceps indicativo et coniunctivo ponitur aut in priore enuntiato prorsus aliter intellegendum est atque in altero (cf. G. Hermanni adnot.). Acta autem ne agam, cum Tachavio, qui p. 69 sq. de hoc loco recte disputavit, scripserim 93 εἴ τις pro μή τις et 94 μὴ μοὶ vel potius μὴ' μοὶ pro κἀμοὶ. Iam habemus: ‚Exspecta, ut ante investigem viam, si quis civis in semita compareat, ne vituperemur . . .'. Etiamnunc alterum enuntiatum finale ex priore pendet. Sed dubito, num utrumque, si rem ponderes et perpendas, rectam praebeat sententiam apteque ad ea quae praecesserint referri possit. Non ita recta evadit sententia, quod ὡς ἂν προυξερευνήσω στίβον ex ἐπίσχες manat: Antigonam paedagogus iubet exspectare, ut antea exploret semitam. Illane non adsit necesse est, dum explorat? Minime. Nonne idem facere potest, dum illa adest? Ut ad alterum enuntiatum finale (μὴ 'μοὶ . . .) progrediamur, paedagogus si sapit dicere non potest antea explorando id se agere, ne illa vituperetur: neque enim eo quod explorat efficere potest, ut nemo civis in semita compareat vituperetque, sed illa utrum in publicum prodeat necne civium interest ad vituperandum. Utrum id quod paedagogus, an id quod Antigona facit momenti est ad Antigonam vituperandam? Certe non propterea, quod hic non exploret, timor est, ne illa reprehendatur, sed propterea, quod illa non exspectet statimque appareat. Breviter ut dicam, quid sentiam, verba μὴ . . . ψόγος ἔλθῃ sc. σοὶ μάλιστα cum nullo alio verbo coniungi possunt nisi cum ἐπίσχες: quamdiu illa iubeatur ἐπισχεῖν paedagogo accuratius definiendum est. Iam vero haec ipsa temporis definitio latet in priore enuntiato finali, ergo non ὡς ἂν scripserat, arbitror, Euripides, sed ἕως ἄν. Qam facile ἕως et ὡς in codicibus commutentur, nemo nescit. Nunc vero recta est sententia: ‚exspecta, quoad ante investigaverim viam, si quis civis in semita compareat, ne vituperemur, ego leviter ut servus, tu graviter ut regis filia'.

4) Iph. A. versus 538—41 agmen claudunt.

ἕν μοι φύλαξον, Μενέλεως, ἀνὰ στρατὸν
ἐλθών, ὅπως ἂν μὴ Κλυταιμνήστρα τάδε
μάθῃ, πρὶν Ἅιδῃ παῖδ' ἐμὴν προσθῶ λαβών,
ὡς ἐπ' ἐλαχίστοις δακρύοις πράσσω κακῶς.

Ne hic quidem eadem res exstat atque illo Helenae loco. Etenim prius enuntiatum finale non per se vim habet finalem, sed φύλαξον ὅπως verba artissime coniuncta eam structuram praebent, quae dividi non possit. Accedit, quod haec enuntiata finalia alio enuntiato seiunguntur.

Ergo quamquam tot enuntiata finalia (443) apud Euripidem leguntur atque saepius proxime posita, nullum invenimus locum, ubi merum enuntiatum finale altero mero excipiatur, nulla re interposita. Qualis cum unus sit Helenae locus, cuius versus 65 aliis quoque ex partibus graviter laborat, versum 65 Euripidi abiudico.

In eam Helenae orationem (255 sqq.), qua quibus malis affecta sit narrat, interpolatorum libido grassata est. Etenim qua ratione et via omnia ea quae leguntur dicta sint, neminem esse expediturum non ignoro. Talem autem narrationem qua fortunas suas persona primas agens partes enumeret interpolatoribus complures addendi ansas dedisse patet. Nam poeta eligit, res consilio suo aptas et accommodatas commemorat, alia quae ad rem minus pertineant praeterit: interpolatores id curant, ne poeta quidquam videatur omisisse, addunt, qua sunt ingenii infirmitate repetunt, totum sententiarum nexum obscurant et turbant. Sed ne praeiudicasse arguar, priusquam de tota hac oratione plura pronuntiem, in singula inquiram.

Ac primum quidem versus 257—59 cum Badhamo damno. Neque tamen hic aut interpolandi rationem satis perspexit aut Euripidi satisfecit, cum hos versus monuit ‚sciolo deberi qui v. 254 (256 Nck.) male intellexit'. Versibus enim 256—9 continua continetur interpolatio. Diversa duo miraculorum genera hoc loco narrantur, quorum prius in nata ex ovo Helena positum est, alterum in mira eiusdem vita et fortuna. Hoc alterum tota oratione explicatur, versu igitur 260 totius orationis quasi argumentum proponitur. Sed prius miraculum hoc loco plane ineptum est neque erri potest. Iam ut versu 260 τέρας γὰρ ὁ βίος καὶ τὰ πράγματ'

ἐστί μοι totius orationis, ita versu 256 ἆρ' ἡ τεκοῦσά μ' ἔτεκεν ἀνθρώποις τέρας; prioris miraculi argumentum significatur. Vides quam arte versus 256 et 257—59 inter se conexi sint, id quod paene omnia versus 256 verba indicant: de partu plane monetur. Noli neglegere vocabulum ἀνθρώποις, quod ad nullam hercle aliam rem nisi ad mirum illum Helenae ortum pertinere potest. Nam si versus tantum 257—59 quos spurios esse manifestum est deleverimus, illud vocabulum ἀνθρώποις (sc. μ' ἔτεκε(ν)τέρας) ad vitam eius fortunamque erit referendum. Sed hoc fieri nullo modo potest. An homines quam mira et nova eius sit fortuna sciunt? Num quidquam rerum hac oratione narratarum? Tot tantisque malis eam obrutam esse, atque quae mala ei acciderint aut quibus suos et Graecos adflixerit, eorum malorum culpam ei tribui iniuria, cum non ipsa, sed simulacrum eius a Paride abductum fuerit? Simulacri enim in hac fabula semper memores esse debemus. Neque Euripidis est in eadem re ita haerere aut non tam cogitantis quam titubantis partes suscipere: a sorte (255) ad ortum (256) reditur, ab ortu ad sortem (260). Deinde quod τέρας in simplici narratione subsequitur τέρας, ipsum est τέρας. Contra, si non modo 257—9, sed etiam 256 deleverimus, sententiae apte inter se cohaerebunt: primum exclamatio conquerentis et indignantis praemittitur in universum (255) ‚qualis est sors mea?' Deinde ita definita, ut a πότμῳ (dem ihr gefallenen loose) ad vitam et fortunas (πράγματά μου was ich erfuhr) transeatur, in quibus qualis sors sit comparet, τέρας vocatur: quibus de fortunis (versus 261—6 infra proscribam) statim inde a versu 267 usque ad finem orationis agitur. Interpolator igitur versus 260 τέρας, quamquam in miris Helenae fatis positum tota oratione exponitur, ad verbum, non ad sententiam accipiens atque de nata ex ovo Helena cogitandum esse ratus in locum mirae vitae ortum portentosum falso substituit. Interpolata autem eodem modo atque genuina in argumentum (256) et in causam ipsam (257—9) divisa sunt. Simillime alio huius orationis loco cum Hartungius narrata (299—302) tantum proscripsisset, propositum (298) quoque Usener damnavit.

Venio nunc ad locum difficillimum (v. 260 sqq.), qui quantum me intellegere studentem vexaverit, dicere vix possum. Atque invitum me aliquantum versuum delevisse affirmo, gradatim a paucis

damnatis ad plures damnandos esse progressum, veritati ex falsarii laqueis magis magisque se expedienti diu obnisum cessisse. A versu 264 ordimur. Ac primum quidem de vocabulo τύχας audi Badhamum praeclare monentem: ‚Plane absurdum est τύχας. Etenim non hoc optat ut malorum suorum Graeci obliviscantur, sed opprobriorum, quae etiamnum in memoria servant, ὥσπερ τὰς κακὰς σῴζουσί μου. Et quomodo tandem malorum praesentium reminisci dicantur?‘ In margine textus conicit ‚f. φάτεις‘, sed pluralis huius vocabuli numerus non invenitur. Longius procedendum esse censeo. Ne sic quidem, si oblivisci opprobriorum aut non fundere opprobria in Helenam Graeci perhibentur, sententia est sana: sed si illa ante raptum pulchritudinem amisisset[1]) neque unquam rapta esset, causam Graecis futuram non fuisse dicendum erat, cur illi maledicerent. Neque possumus facere, ut cum G. Hermanno Helenam intellegamus cum fortuna sic paciscentem: ‚facile se passuram, si sibi eripiatur haec forma, si modo oblivisci malae suae famae, meminisse autem fidei erga maritum Graeci possent‘. Etenim quamquam quae desideria ad effectum adduci nequeunt, iis omnibus quasi vanitas quaedam insit necesse est, plane tamen stultam haberemus et mente captam, si nunc pro pulchritudine in deformitatem versa accipere a Graecis cuperet malae suae famae oblivionem atque in summam virtutem restitui vellet. Hanc enim mutationem illi, etiamsi cognovissent, aut non curavissent aut merito perfidam uxorem atque tot Graecorum interfectricem a deis esse punitam dixissent. Contra si ante raptum deformata esse cupit, iam habet, cur libera sit ab opprobriis: deformem mulierem secum abducere Paris certe dubitasset. Quodsi hoc unum desiderium probari potest, nonne ex hoc ipso statim tale quid colligendum est, quale ‚tum haec omnia facta non essent‘? Sed dici quoque id a poeta minime opus erat, nam quae res tam perspicua et aperta est, ut ab omnibus qui audiant aut legant

---

[1]) In versu 263 ex scriptura Laurent. corrupta λαβεῖν (γρ. λάβω) — λαβεῖν etiam cod. abbat. Florent. praebet.— Porsonus — adv. p. 269 λαβον recte coniecit. Λάβοιν G. Hermanni nihili est, nam in ea re niti, quod in fragmentis Eurip. unus eius modi optativus τρέφοιν legitur, atque hanc formam insolitam coniectura proferre et civitate donare non licet.

facillime colligatur ultroque se offerat, cur etiam verbis exprimatur non est. Aut si exprimitur, ita certe est narranda, ut non obscuretur egeatve interprete. Atque id ipsum loco de quo agimus factum esse supra iam vidimus, cum alia tum haec verba τὰς δὲ μὴ κακὰς ἔσῳζον sunt obscura, de quibus interpretandis viri critici non ita consentiunt. Ego vero quo spectent haec verba non expedio: Hermanni ‚fidem erga maritum' elicere nullo modo possum. Quae verba conversum tantum et in contrariam partem mutatum reddere videntur hoc enuntiatum proximum 264 sq. καὶ τὰς τύχας μὲν τὰς κακάς, ἃς νῦν ἔχω, Ἕλληνες ἐπελάθοντο neque certa vis iis subest. Deinde κακοφωνίαν in versus 264—6 effusam aures respuunt: tot vocabula, imprimis in versu 264 in easdem litteras -ας exeunt, eadem vocabula absurde frequentantur 264 τὰς κακάς 265 τὰς δὲ μὴ κακάς 266 τὰς κακάς 266 ἔσῳζον...σῴζουσι. Ergo versus 264—6 proscribendos esse censeo. Quos confictos arbitror ab interpolatore quodam, qui Helenae desiderio ‚utinam minus pulchra fuissem' quid inde colligeretur addendum esse putaret. Inepte vero τύχας mutuatus est a versu 267 (τύχην).

Sic de hoc loco ante hunc annum iudicaram. Sed suspicio semel orta serpsit longius. Invento enim totius orationis argumento (260) facere non possum, quin versibus 261—6 continuam contineri censeam interpolationem. Nam illud argumentum perpetuum iam initio molestissime turbatur pulchritudine interposita atque rebus insuper additis. Versus autem 261 vitae et fortunae mirae vel miserrimae culpam in Iunone et in pulchritudine ipsius Helenae esse monet. Sed hoc loco non quaeritur, cur sors eius sit talis, sed id ipsum, qualis sit, namque miram eam esse toti orationi proponitur, tota oratione explicatur et explanatur. Versum igitur 260 versibus 267 sqq. excipiendum esse patet, cum propositum narratio sequatur sit necesse. An tota oratio inde a versu 267 quid sibi velit non intellegi eaque verba, non sententiam afferri mavis? Interpolator non modo in versibus 264—6 plane absurdis cernitur, sed etiam in versu 261. Nam Helena mira et nova fata sua esse expositura, id quod eam facere apertum est, si ita inciperet, ut ab ipso fonte certo mirum repeteret causamque rei mirae ostenderet, absurde diceret: Euripides vero arti rhetoricae operam dedisset frustra. Miraculum enim, ubi

naturalem in modum explicaverimus, iam non erit mirum, sed planum et perspicuum. An aenigma, priusquam enarraveris, ipse solves? Recte igitur Euripides fecit, cum enarratam demum rem miram extrema oratione ita solvit, ut pulchritudini Helenae omnium calamitatum culpam tribueret. Etiamnunc (303—5) propositum retinetur, nam quod pulchritudo, summa ceteris feminis felicitas, eam ipsam obruit malis, id est novum. Ne hoc quidem modo inita oratione de pulchritudine verba fiunt, ut causam quoque omnium malorum esse miram significetur: sic enim aliquid esset, cur hic excursus ferretur quamvis inutilis. Sed loco priore cur auctores fatorum commemorentur non apparet. Quare cum et hoc loco (261) et illo (304 sq.) de eadem re agatur, quarum narrationum altera sit spuria necesse est, prior, iam maxime suspecta, est damnanda. Forma quoque versus 261 falsarium prodit, duo enim in membra dividitur (τὰ μέν — τὰ δέ), quorum prius a rebus tota oratione expositis prorsus alienum est. Nam interpolatores his vocabulis usi ἤ—ἤ, ὁ μέν — ὁ δέ ita in membra partiri solent, ut aut alterum aut utrumque sit ineptum absurdumque, cf. Med. 87 del. Brunck. et Med. 246 del. Wilamowitz. anal. Eur. p. 206 sq. Saepissime autem per ἤ rem aliquam aut personam inutilem aut falsam addiderunt, cf. Wil. l. c. p. 205 sqq. Etiam illa de re posteriore loco narratur rectius: pulchritudo accusatur, omittitur Iuno. Interpolator igitur, ne quid poeta videretur omisisse, fortunae fabros addidit rem ex extrema oratione mutuatus. Mira autem et nova haec interpolatio est (261), quod genuino versui 260 (τέρας) non tam substituta est quam refragatur et adversatur, nam aenigma antequam enarraveris solvere sibi ipsi contradicentis est.

Transeo ad alium huius orationis locum (287 sqq.), in quo emendando viri critici oleum et operam perdiderunt. Inter prima artis criticae praecepta id referri constat, ne verba, in quibus vitium non emendatum insit, proscribas. Neque tamen ulla lex caret exceptione. Fieri enim potest, ut vitium aut vitia in singulis rebus lateant, tota res sit perspicua neque quidquam mutetur, quacunque ratione singulae res mutantur. Quodsi id argumentum, quod singulis rebus novatis ipsum non novetur, a toto loco alienum est atque dignum quod damnetur, damnare non dubito. Sic iudicanti mihi liceat de versibus 287 — 92 delendis disputare. Etenim

quamquam tot vitia [1]) atque tam gravia, ut sanari non possint, hunc locum foedant, argumentum tamen scrupulis sive manentibus sive sublatis ex rerum natura hoc colligitur sine dubio: ‚Helenae in patriam reversae timendum est, ne illa Helena quae Troiae fuerit habita, quod illius belli atque tot tantarumque caedium culpa in ipsa sit, a civibus iratis moenibus excludatur'. Alia sententia his versibus subesse nequit, minime ea, quam invita grammatica G. Hermannus loco inculcavit: ‚in carcerem se coniectum iri putat Helena, quod, si sine Menelao veniat, Spartani eam non illam, quae Troiae fuerit, quam ipsi veram esse Helenam credebant, sed esse aliam mulierem, quae ob formae similitudinem Helenae nomen mentiatur, existimaturi sint'. Id quod Hartungius p. 202 optime refutavit. Illa sententia, quam unam huic loco inesse posse monui, si ipsam spectamus, recta est: aliena et inepta, si quomodo cum posteriora tum priora cum his versibus cohaereant quaerimus. Helena unam salutem, quam sperare ipsi liceret, in coniuge redituro positam, cum mortuo periisse versibus 277—9 perspicue dixit. Deinde quae mala suis acciderint narrat. Iam vero quid nunc sequitur? Id magna ex parte affirmat, quod paulo ante aperte et plane negaverat. Reditum enim ponit tamquam concessum (287), negaverat autem paulo ante omnem salutem. Itaque cum non sit dubium, quin reditus magna salutis pars sit, sibi ipsi contradicentem eam habemus. Cur tale quid ponit? ut hanc quoque spem eodem vitio laborare exponat atque priorem iam negatam (277—9) atque eandem ob causam fore ut haec quoque ad irritum cadat. Nam et illo et hoc loco cum mortuo Menelao tota spes exstinguitur. Versus autem 290—2, si versum 279 subsequerentur, spem versibus 277 sq. propositam recte explicarent.

---

1) Ac primum quidem pro ὑπ' Ἰλίῳ (vide Badhamum) ἀπ' Ἰλίου cum Nauckio scribendum est. Deinde ‚Euripidem verba tam vicina, εἰργοίμεσθα et δοκοῦντες, de diversis personis posuisse' cum Badhamo nego. Tum Ἑλένην Μενέλεώ μ' ἐλθεῖν μέτα verba pravissima viros criticos emendare studentes eluserunt semperque eludent. Versus 291 a metrica abhorret neque ullam adhuc salutem ex variis coniecturis nactus est aut unquam nanciscetur. Postremo versus 292 ut verbis abundat ita sententiam non praebet nisi languidam eamque repetitam, dividitur enim in duas partes quarum utraque eandem fere rem continet.

Neque tamen desideratur talis explicatio: quae res homini non insipienti ultro se offerunt, non est cur a poeta afferantur. Tale vero dicendi genus Euripides hercle non admisit. Ac nescio an sciolum deprehendamus, qui Ὀδυσσέως ὑπὸ Πηνελόπης ἀναγνωρισμοῦ memor sapientiam suam ex Hom. ψ, 107—110 sumptam Euripidi inusserit. Quam arte versus 285 sq. et 293 sq. inter se cohaereant, oculi te docebunt:

285 . . . ἀλλὰ πάντ᾽ ἔχουσα δυστυχῆ
286 τοῖς πράγμασιν τέθνηκα, τοῖς δ᾽ ἔργοισιν οὔ.
293 τί δῆτ᾽ ἔτι ζῶ; τίν᾽ ὑπολείπομαι τύχην;
294 γάμους ἑλομένη τῶν κακῶν ὑπαλλαγάς κτλ.

Versus enim 285 sq. 293 a fortunis miserrimis quae Helenae adhuc acciderunt ad eam aperte transeunt quae nunc illam manet, ad coniugium cum viro barbaro ineundum. Qui transitus versibus 287—92 medius interrumpitur. De poeta elegantissime hoc modo ad rem futuram transeunte nos non errasse testis est locus prologi simillimus, 53 sqq.: ἡ δὲ πάντα τλᾶσ᾽ ἐγὼ κατάρατός εἰμι . . . τί δῆτ᾽ ἔτι ζῶ [1]); θεοῦ τόδ᾽ εἰσήκουσ᾽ ἔπος Ἑρμοῦ, τὸ κλεινόν

[1]) Ceterum non alienum videtur adnotare, repetita in eadem fabula complura verba ne suspicionem quidem mihi dare, sed cum aliis in rebus falsarius cernatur, tum demum de furto me clamare. Non multum quaerenti hi eiusmodi Helenae fabulae loci praesto mihi sunt, de quibus dubitari nequit:

(1) 141 et 158 καλῶς ἔλεξας (formula dicendi maxime solita: Alc. 1104 Bacch. 953, Hec. 1007, El. 640, Her. 726, Hipp. 715, Iph. T. 909; Iph. A. 829, Iph. T. 597, 766, Ion. 648).

(2) 315 et 1233 οἶσθ᾽ οὖν ὃ δρᾶσον; (formula dicendi solita: Hec. 225, Iph. A. 725, Ion. 1029, Cycl. 131).

(3) 929 et 1291 ἢν δ᾽ Ἑλλάδ᾽ ἔλθω.

(4) 54 sq. et 927 sq. προδοῦσ᾽ ἐμὸν || πόσιν.

(5) [402 extr. κ᾽ εἰς πάτραν χρῄζων μολεῖν vide p. 19.
407 extr. ὥστε μ᾽ εἰς πάτραν μολεῖν.
1283 sq. ὥστε σ᾽ εἰς πάτραν || ἐλθεῖν.

Addo haec tria locorum paria:

856 extr. καὶ μεταστήτω κακῶν.
1442 extr. καὶ μετάστησον κακῶν.

1099 ἅλις δὲ λύμης ἣν μ᾽ ἐλυμήνω πάρος.
1446 ἅλις δὲ μόχθων οὓς ἐμοχθοῦμεν πάρος.

1293, 2 ἣν γυνὴ γένῃ οἵαν γενέσθαι χρή σε σῷ ξυνευνέτῃ.
1407 sq. ἕξεις δέ μ᾽ οἵαν χρή σ᾽ ἔχειν ἐν δώμασι γυναῖκ᾽.

μ' ἔτι κατοικήσειν πέδον Σπάρτης ξὺν ἀνδρί κτλ. Deinde Helenae, postquam fortunas enarratas versibus 285 sq. conclusit, fortunam eiusdem modi insuper ultimam addere non licet.

Restat ut de exitu orationis disseram. Etenim quamquam ad versus 299—302 ab Hartungio[1]) iure optimo deletos Usener (mus. Rh. XXIII 1868 p. 164 sq.) versum 298 recte addidit delendum, vereor ne inveniantur qui v. 298 defendant. Quorum in numero Schenkelius est. Qui l. l. p. 444 moriendi consilium (θανεῖν κράτιστον), quem ad finem tota oratio spectet, retinendum esse arbitratur. Falso: id ipsum moriendi consilium huic loco minime aptum esse demonstrari potest. Hi versus (298—302) falso occupant rem versibus 348—59 propositam. Namque Helena posteriore loco si ex Theonoa vate Menelaum periisse cognoverit, manus sibi allaturam esse recte iurat, priore tamen loco ‚mortuum esse Menelaum nondum certo comperit, timet tantum, suspicatur, credit' (verba sunt Useneri). Deinde chorus de moriendi consilio quidquam se audivisse priore loco ne leviter quidem significat. De quo exsequendo quam absurde cogitantem illam interpolator fecerit, Hartungius dilucide exponit. At libri, quominus etiam versum 298 deleamus, videntur impedire, praebent enim οὐ καλῶς, non οὖν καλῶς, quare verba πῶς θάνοιμ' ἂν οὐ καλῶς; paene idem atque θανεῖν κράτιστον significantia ad versum 303 εἰς γὰρ τοσοῦτον ἤλθομεν βάθος κακῶν transitum facere arbitreris, hoc autem versu (303) cur θανεῖν κράτιστον sit confirmari. Sed ut de re gravissima supra monita — moriendi dico consilium in hunc locum non quadrare — taceamus, libri non modo οὐ καλῶς, sed etiam προθάνοιμ' ἄν, non πῶς θάνοιμ' ἄν exhibent, satis igitur corruptus v. 298 est, ergo illud οὐ libris traditum non tantum valet, ut de hoc versu dubitare non liceat: sic enim, ut paulo ante exposui, versum 298 servantes hac afficiuntur difficultate, ut qua cum re versus 304 sq. coniungant aut quomodo intellegant non habeant, quare Schenkelius p. 444 hos versus proscribit. Sed plures viros criticos Usenero et mihi esse assensuros mihi persuasi. Etenim versus 294—7 et 303—5 secum arte coniungendos esse

---

[1]) Hartung. in Iph. Aul. p. 43 sq., cf. etiam Hel. ab eodem edit. p. 203.

patet: Helena ab hoc coniugio inviso, quae ultima calamitas eam iam manet, ad pulchritudinem, quae et hanc ipsam et ceteras calamitates pepererit, transeat oportet. Sic totius orationis argumentum tenens concludit, nam quod pulchritudo, ex qua ceterae feminae summam felicitatem percipiant, ipsam reddat miserrimam magnopere miratur: habemus igitur hic quoque τέρας. Quod in duobus deinceps enuntiatis (303 et 4) γάρ legitur, non offendimus, cf. Matthiaei lex. Eur. p. 604 sq. De occasione interpolandi sic iudico. Falsarius verba (293) τί δῆτ᾽ ἔτι ζῶ; ‚quamquam verbis τίν᾽ ὑπολείπομαι τύχην; statim explicata una cum his ad futuram fortunam (294 sqq.) transitum faciunt, ad verbum, ut solet, accepit itaque moriendi consilium intempestive inseruit. Ac nescio an alteram versus 298 partem e versu 841 confinxerit:

{ 298 . . . πῶς θάνοιμ᾽ ἂν οὖν καλῶς;
{ 841 πῶς οὖν θανούμεθ᾽ ὥστε καὶ δόξαν λαβεῖν;

Iam emendatam mecum legas velim orationem: qua narrandi ratione et via poeta usus fuerit non ignorabis, Helena versu 255 in universum de sorte sua questa τέρας versu 260 vitam et fortunas suas appellat. Hoc argumentum toti orationi propositum inde a versu 267 explanatur hoc modo. Ac primum quidem in universum (267—9) dicit se non modo una fortuna, sed undique affligi. Deinde fortunas suas omnes, id quod singillatim ostenditur, cum secum quaeque pugnet sibique contrarium quiddam habeat, esse miras et novas (τέρατα) demonstrat. Contraria autem in haec duo potissimum genera dividas: a) quamvis innocens mersa est malis, b) quamvis innocenti malorum maximorum culpa tribuitur.

Fortunae autem hae sunt: 1) quae iam acciderunt:

α) nullo scelere commisso male audit (270—2).
β) Graeca libera et ingenua est apud barbaros serva (273—6).
γ) una salus, quam sperare licebat, cum mortuo coniuge ablata est (277—9).
δ) in ea ipsa quamvis innocenti culpa est interitus et miseriae hominum ei carissimorum (280—5).

Transitus a 1) ad 2): Sic nulla re nisi malis affecta periit. Una fortuna eam manet (285. 6. 93):

2) fortuna, quae eam manet, coniugium est cum viro barbaro ineundum, quod maxime reformidat (294—7).

Nunc demum rem miram ita explicat, ut culpam omnium malorum pulchritudini suae tribuat. Tamen etiamnum propositum retinetur, nam haec quoque res est nova (303—5).

Paulum progressus in chori oratiuncula (317 sqq.) haesi. Versus 318 genetivis abundans enuntiatum relativum ἣ τὰ πάντ' ἐπίσταται molestissime seiungit a Θεονόης nomine: penitus velim spiritum ducas, ut per enuntiatum relativum atque per tot genetivos ad nomen ipsum pervenias. Atque re vera necessario plura Θεονόης nomini attributa sunt. Enuntiatum enim relativum vaticinandi artem optime significat, chorus et Helena hanc eius artem ita non ignorant, ut unde eam acceperit explicari opus non sit. Interpolatori hoc visum non est, versum 318 addidit. Legerat enim hanc et vaticinandi et pietatis iustitiaeque originem his locis declaratam:

13 sq. τὰ θεῖα γὰρ
τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα πάντ' ἠπίστατο

explic. versu 15
προγόνου λαβοῦσα Νηρέως τιμὰς πάρα.

1002 sqq. ἔνεστι δ' ἱερὸν τῆς δίκης ἐμοὶ μέγα
ἐν τῇ φύσει·

explic.:
καὶ τοῦτο Νηρέως πάρα
ἔχουσα

inverso ordine idem legitur v. 1647 sqq.:
οὐδ' ἡ θεᾶς Νηρῇδος ἔκγονος κόρη
ἀδικεῖ σ' ἀδελφὴ Θεονόη τὰ τῶν θεῶν
τιμῶσα πατρός τ' ἐνδίκους ἐπιστολάς.

His tamen locis apta est narratio plena, cum id agatur, ut primo loco spectatores edoceantur, altero Theonoa innatam sibi iustitiam pietatemque exponat, tertio Theoclymenus iniustus ab ira et iniuria revocetur. Narratur quoque bene his locis. Neque hoc neque illud in versum 318 cadere supra monui. Neque dubium mihi est, quin ex versu 1647 interpolator sapientiam mutuatus sit, velim conferas:

318 τῆς ποντίας Νηρῇδος ἐκγόνου κόρης
1647 οὐδ' ἡ θεᾶς Νηρῇδος ἔκγονος κόρη

cf. etiam Iph. Aul. 836

ὦ θεᾶς παῖ ποντίας Νηρηΐδος.

Qui verba Νηρῆδος ἔκγονος κόρη ex altero Helenae loco in priorem ita transtulit, ut duobus vocabulis postremis in genetivum mutatis omnes in versu 318 ineleganter praeberet genetivos.

Nunc totam hanc oratiunculam percenseamus. Helenae mortuum esse Menelaum suspicanti omnemque spem abicienti, ut Theonoam vatem de hac re interroget, chorus suadet. Ac primum quidem has quattuor partes facillime internoscimus:

‚1) i in domum, 2) interroga Theonoam, 3) quae omnia scit, 4) utrum vivat adhuc coniux tuus an mortuus sit.'

Alia deinde re monita (320 extr. — 3 med.) verbis ἀλλ' ἐμοὶ πιθοῦ usus redit ad ea quae antea suaserat simillime repetenda: 1) relinque sepulcrum, 2) conveni virginem, 3) unde omnia cognosces, 4) ut verum dicat. Velim accurata conferas:

1) ἐλθοῦσ' ἐς οἴκους — τάφον λιποῦσα τόνδε } cf. 315 μνήματος λιποῦσ' ἕδραν }
2) πυθοῦ Θεονόης — σύμμιξον κόρῃ
3) ἣ τὰ πάντ' ἐπίσταται — ὅθενπερ εἴσει πάντα
4) πόσιν σὸν εἴτ' ἔστ' ἔτι εἴτ' κτλ. — τἀληθῆ φράσαι

Res singulae singulis respondent, quattuor res supra monitae repetuntur, etiam structura trium enuntiatorum priorum utroque loco est eadem. Quare cum verba πόσιν σὸν εἴτ' κτλ. ex verbo πυθοῦ (Θεονόης) pendeant, etiam verba τἀληθῆ φράσαι ad eandem rem spectantia ex σύμμιξον (κόρῃ) pendere colligi potest. Hanc structuram G. Hermannus, cum alii[1]) aliunde (cf. Herm. adnot.) verba τἀληθῆ φράσαι pendere arbitrarentur, probavit. Neque me fugit non modo illas constructiones esse duriores, sed etiam Hermanni, neque tamen haec tam dura est, quae ab interpolatore, de quo acturus sum, admitti non potuerit. Sequitur insuper eadem quidem cohortatio, sed contracta et astricta: 326 ‚cum in hac domo habeas, quid longius spectas?' Quid domi haberet, satis superque chorus disseruit: nempe Theonoam vatem, omnia scientem?

---

[1]) Multo durius G. Hoffmannus (iahrb. f. class. phil. 85 (1862) p. 593 sq. et interpungit et intellegit: τἀληθῆ, φράσαι, ἔχουσ' ἐν κτλ. = ‚veritatem, reputa, cum paratam habeas in his aedibus, cur longinqua quaeris oculis?'

Coniectura igitur Nauckii τήνδε pro τοῖσδε necessaria non est. Iam non dubito, quin eaedem quattuor res a falsario sint repetitae itaque versus 324 sq. eiciendi[1]). Minus certo de versu 326 iudico. Fieri illud quidem potuit, ut poeta ipse re quadam (320—3) interposita per verba ἀλλ' ἐμοὶ πιθοῦ ad priora rediens atque rem accuratissime iam enarratam et in singulas partes divisam repetens quae diviserat contraheret, quae fuderat constringeret. Sed nescio an hic quoque versus sit interpolatus. Neque enim quidquam est, cur ea, quae paulo ante expressa sint et explicata, repetantur: chorus verbis ἀλλ' ἐμοὶ πιθοῦ usus me iudice non redit ad repetenda priora (317—20), sed concludit omnia ea quae suasit (317—23). Nam ut Helena monita facere audeat (ἀλλ' ἐμοὶ πιθοῦ), fore ut ipse huic rei intersit eamque adiuvet statim versibus 327 sq.[2]) pollicetur: hic sententiarum nexus inter v. 323 et 327 intercedit. Interpolator autem quod post illa verba quid faciendum esset non legit, ferre non potuit, repetivit igitur quam accuratissime quae Euripides ante paucos versus exposuerat addiditque insuper eandem rem contractam.

Sequuntur Helenae lamenta et chori solacia. A quibus postquam scaena et orchestra vacuae sunt relictae, Menelaus prodit naufragus et fortunas suas narrat. In universum errorum suorum mentionem facit versibus 400 sq. Iam quid versus 404, 5 init. sibi volunt partem aliquam eorum afferentes? Qua re molestissima quae cum vi modo expressa sunt attenuantur. Singillatim de erroribus referenti non una ad quam appulisset terra commemoranda fuit, sed plures. Id quod Menelaus in hac ipsa fabula facit versibus 766 sqq., quamvis silentio errores praeterire velit:

τί σοι λέγοιμ' ἂν τὰς ἐν Αἰγαίῳ φθορὰς
τὰ Ναυπλίου τ' Εὐβοϊκὰ πυρπολήματα
Κρήτην τε Λιβύης θ' ἃς ἐπεστράφην πόλεις
σκοπιάς τε Περσέως;

---

[1]) Wecklinus (iahrb. f. phil. 7 suppl. (1874) p. 358) versus 325 sq. delevit, falsarium repetentem sensit, non perspexit, cf. etiam 315 extr. = [324 init.]. Idem cadit in Cronium (ztsch. f. öst. gymn. XXIV (1873) p. 250 sq.), qui versu 325 deleto in versu 326 πάντα pro τοῖσδε scribit.

[2]) Cum alii versus huius fabulae (26, 486, 727, 1027) tum v. 328 temere ab Herwerdeno (anal. trag. in Soph. O. R. p. 208 in suspicionem vocatus est, summam enim auxilii continet.

Neque aliter Homerus, quem in hac fabula saepius Euripides sequitur aut imitatur, complures terras perhibentem eum facit δ, 81—5. Minime autem huic loco apta et accomodata est Libya commemorata, nam quoniam Graeci eius aetatis, qua Euripides florebat, Libyam nominabant septentrionalem Africae oram, qui eam saepissime attigerit non est cur miretur in Aegyptum se esse delatum: paulo enim post id ipsum magnopere miratur 459—61. Ac nescio an interpolator Libyam inhospitalem sibi sumpserit ex v. 1211 Λιβύης ἀλιμένοις ἐκπεσόντα πρὸς πέτραις. Versus 405 extr. 407 Menelaum patriam domumque petentem, nunquam capientem depingunt tam iusto colore, ut huic irrito itineri nobis videamur ipsi interesse: eiusdem rei umbram versus 402 extr. 3 reddunt. Qui versus sic tantum starent, si versibus 405—7 coniunctione γάρ adiunctis exciperentur. Sic enim versus 405—7 rem versibus 402 extr. 3 simpliciter propositam explicarent et explanarent, sed hoc modo versus inter se coniungi nequeunt. Iam vero cum versus 404, 5 init. rem versibus 400 sq. allatam falso repetere cognoverimus, est quod etiam versus 402 extr. 3 rem versibus 405—7 egregie expressam languide occupantes damnentur. Auget autem suspicionem, quod qui verba (402) κεἰς πάτραν χρήζων μολεῖν scriberet, a verbis (407) ὥστε μ᾽ εἰς πάτραν μολεῖν eum mutuatum esse apparet. Iam eiectis versibus 402b—5a (κεἰς πάτραν — πέπλευκα πάσας) reditus irritus (405 extr. — 7) optime respondet erroribus perpetuis (400—2 init.), utraque enim res et in universum et ample describitur. Velim conferas verborum copiam utroque loco exstantem: 400 ἐπ᾽ οἶδμα πόντιον γλαυκῆς ἁλός, 406 sq. πάλιν μ᾽ ἀπωθεῖ πνεῦμα, κοὔποτ᾽ οὔριον εἰσῆλθε λαῖφος. Quare versus 402b—5a delere malo quam qui facilius eiciuntur v. 404—7.

Nuntius postquam non veram Helenam, sed simulacrum eius Troiam abductum fuisse audivit, primum (711 sqq.) de δυστεκμάρτῳ numine mirisque fatis verba facit, altera deinde oratiuncula 744 sqq. in vates invehitur eisque tot tantarumque caedium culpam tribuit. Qui excursus, iniuria ab Hartungio in Iph. Aul. p. 10 sq. proscriptus, ut οὐκ εὖ οἰκονομοῦντα ita philosophum resipit Euripidem atque hercle est genuinus. Sed interpolationibus auctus et corruptus est. Ac primum quidem cur cum Cobeto (nov. lection. p. 193)

versum 752 deleam, breviter exponam. Interpolator — homines enim minoris ingenii saepissime stupent, non cogitant — magnopere miratus, quod uterque vates de simulacro Helenae tacuerat, hanc rem miram explicasse sibi videtur versu 752. Stultissimum autem est miram rem, in qua tota res versatur, explicare, hoc enim est fundamento subtracto totam rem labefactare. Hac vero ipsa explicatione nihil ineptius hic addere potuit, nam culpam vatibus ademptam ad deum ipsum transfert, cum dei, omnium bonorum largitores, vatibus inutilibus a poeta opponantur. Transeo ad alterum locum. Wilamowitzius anal. Eur. p. 241 sq. versus 756 sq. damnavit, ego versus 755—7 suspectos habeo. Versibus 744—8 hoc ponitur: ‚vaticinandi ars nihil est nisi vanitas atque fraus‘, id quod versibus 749—51 confirmatur: ‚utriusque populi vates, Calchas et Helenus, de simulacro i. e. de nihilo pugnari non monuerunt‘, v. 753 sq. ex confirmata re hoc colligitur: ‚ergo a deis sacrificando bona sunt petenda, vaticinatio repudianda‘. Quae res cum ex re (744—8) iam confirmata (749—51) colligatur, cur ipsa confirmetur versibus 755 sq. non est. Atque sententia ipsa (753 sq.) totus excursus rectius finitur. Gravissimum autem est, quod chorus cum nuntio de arte vaticinandi damnanda consentiens de nulla alia re nisi de his versibus (753 sq.) respondet (758—60). Deinde illud quidem versu 755 vates decipientes, versu 756 homines ab eis deceptos significari coniectura assequimur, vituperandum tamen est, quod haec diversa genera vocabulo καί tam arte inter se coniuncta sunt, ut lucrosam esse vaticinandi artem eodem paene tempore et affirmetur et negetur: separanda atque opponenda sibi erant haec genera. Sequitur haec nova sententia ab interpolatore addita (757): ‚mens et consilium optimus est vates‘. Etenim deos iam habemus vatibus antepositos (753 sq.), id quod chorus respondens (758—60) comprobat. Verba autem ἀρίστη μάντις surripuit ex versu 760 (ἀρίστην μαντικήν).

Transeo ad Menelai oratiunculam a versu 842 incipientem. Versus 851—4 optimo iure Nauckius iam in ed. I. notavit suspectos. Ego vero, quamvis metuam, ne quibus nimis pronus in suspicionem esse videar, facere non possum, quin versus 843—50

addam delendos [1]). Etenim ab hoc loco plane abhorrent. Quae inde a versu 806 antecedunt, duarum tantum rerum evenire posse unam explicant: fore ut aut serventur Menelaus et Helena aut non serventur [2]), illam autem salutem in una Theonoa fratri adventum illius tacente esse positam, omne autem τολμᾶν, quo ille decertare velit, plane nihili esse neque quidquam eo effici, cf. 806—31. De certamine igitur cum Theoclymeno aut cum alio subeundo tantum abest, ut hic agatur, ut cur subiri non posset plane et dilucide modo ac paulo ante demonstratum sit. Quare ineptissimum est, quod Menelaus certamen sese ita esse commissurum graviter et copiose dicit, ut gloria ante Troiam ab ipso parata non minuatur, neque dubitare mori διὰ τὴν δάμαρτα. Atque λέκτρων ὑπὲρ σῶν sc. ἀγῶνα μέγαν ἀγωνιούμεθα perperam ille argumentatur, cum priusquam uxorem servare possit id prius agatur, ut ipse sit in tuto neve ipsum advenisse fratri Theonoa nuntiet. Quod nisi primum consecuti erunt, nihil proficere poterunt in communi salute et conubio servando, cf. primas Helenae ad Theonoam preces, versus 894—900, imprimis 898 sqq. Multo tamen graviorem vim condicioni rerum ipsi supra expositae tribuo quam talibus precibus, quippe quae non veram condicionem depingere, sed eo modo quo quam maxime animum moveant (rhetoricum in modum) compositae esse soleant: sic etiam hic (894—943 et 947—995), quibus locis

---

1) Suspicionem meam Schenkelii studiis postea cognitis (p. 449 sq.) confirmatam vidi. Qui cum prorsus alia via idque levioribus argumentis versus 845—50 proscripsisset, totum interpolandi genus non perspexisset, quae ipse invenissem proferenda esse arbitratus sum. Illud vero miror, quod verba (849 sq.) διὰ δὲ τὴν ἐμὴν οὐκ ἀξιώσω κατθανεῖν δάμαρτ' ἐγώ; hoc modo reddit: ‚ich sollte es nicht über mich bringen, meine Gemahlin zu tödten(!)?'

2) Ad versum 837 Nauckius adnotat: ‚ταὐτῷ ineptum, τῷ σῷ vel τούτῳ Rauchensteinius' (philol. XXII. p. 197). Qui offendit, quod neque gladius neque qui gladio interficeretur, antea nominatus sit. Falso: cf. v. 803. Helena cum ibi ipsa his verbis ξίφος μένει σε μᾶλλον ἢ τοὐμὸν λέχος Menelaum monuerit atque hoc idem versu 833 θανεῖ repetat, eodem se gladio interituram esse atque illum rectissime iurat. Ergo ταὐτῷ ξίφει γε sanum est. — Ceterum Schenkelius, quod p. 449 versus 833 sq. in suspicionem vocat, poetam his ipsis versibus illud Helenae iusiurandum 835—7) instituere voluisse non videtur intellexisse.

nihil aliud impetratur nisi ne fratri illa Menelai adventum nuntiet, ex quo demum quasi fundamento consilia capere licebit de communi salute, de Helena reddenda fiunt plurima verba, cum in hac re iustitiam et pietatem mirum in modum illi adhibere possint ad impetrandum. Neque illud quod de vita sese cum Theoclymeno esse decertaturum Menelaus versibus 975—9 minatur ad servandos eos versus, de quibus proscribendis agimus, afferri potest. Theonoae enim terrendae causa id ipsum finxit. Interpolator cum gloriam Troianam celebravit meminisse videtur cum v. 806 tum v. 948 sq.:

[845] τὸ Τρωικὸν γὰρ οὐ καταισχυνῶ κλέος
806 λιπών σε; Τροίαν ἐξέπερσα σὴν χάριν.
948 sq. τὴν Τροίαν γὰρ ἂν δειλοὶ γενόμενοι πλεῖστον αἰσχύνοιμεν ἄν.

Atque materiam Troianam sumpsit ab Homero γ, 109 sqq.:

ἔνθα μὲν Αἴας κεῖται ἀρήιος, ἔνθα δ' Ἀχιλλεύς,
ἔνθα δὲ Πάτροκλος θεόφιν μήστωρ ἀτάλαντος,
ἔνθα δ' ἐμὸς φίλος υἱός, ἅμα κρατερὸς καὶ ἀμύμων,
Ἀντίλοχος, περὶ μὲν θείειν ταχὺς ἠδὲ μαχητής.

Ceterum interpolata dictionem Euripideam resipiunt, cf. Andr. 8 sq., 399 sq., 410, 611—4. Singula vero ad locum de quo agimus omnino non quadrant. Ac primum quidem gloria Menelai Troiana hercle non est posita in talibus rebus, quod Thetin filio privavit, Telamonium Aiacem sibi ipsum manus afferentem vidit Nestoremque orbum, sed quod multa ante Troiam praeclare gessit eamque cepit. Sed si quis ψόγον (846) in his rebus cerni dixerit, ut quippe qui illud bellum suscipi iussisset Achillem et Antilochum pro eo pugnasse et cecidisse concedamus, Telamonii tamen Aiacis mortis ab hoc ipso conscitae culpa ei nullo modo tribui potest. Maxime autem offendit, quod Nelei filius vel Nestor perhibetur ἄπαις (Bothius verbis Νηλέως τ' ἄπαιδα pro inexplicabili librorum scriptura τὸν Θησέως τε παῖδα [1]) coniectis, si illum locum Homeri comparamus, pristinam interpolationis formam videtur restituisse). Fuerant enim ei ante bellum Troianum septem filii, e quibus cum duo, Antilochus et Thrasymedes, ad hoc ipsum bellum profecti essent, ille, maximus natu, a Memnone interfectus est, hic domum revertit,

[1]) Acamas et Demophon, Thesei filii, apud Homerum non commemorati, e bello Troiano domum redierunt, cf. Hec. 123 et Her. 115, 119.

cf. Hom. γ 412—5, 439, 442, δ 187 sq. Ergo Nestor, quoniam sex filii relinquuntur uno amisso, ἄπαις dici non potest. Iam ut omnem dubitationem amoveamus, accuratius de vocabulo ἄπαις inquiremus. Audiamus H. Stephanum explicantem: ‚sine liberis, liberis carens, cui nulla est proles. Dicitur autem tam de iis qui nullos unquam habuerunt quam qui amiserunt‘. Atque ille lexicographus, nisi fallor, sic intellegi vult: ‚qui omnes quos habuerant liberos amiserunt‘. Euripidem hac ratione vocabulis ἄπαις et ἄτεκνος usum esse omnibus eiusmodi locis examinatis inveni, paululum a vero ita recedere, ut ea persona ipsa, quae complures liberos amiserit, summo dolore affecta, in questus lacrimasque effusa, amissos toto animo complexa unius filii relicti (aut unius filiae relictae) obliviscatur itaque ἄπαιδα se dicat. Sic Hecuba, cum in eo est ut Polyxena orbetur, Polydori oblita illam obsecrat: (Hec. 440) μὴ λίπῃς μ᾽ ἄπαιδ᾽. Cassandra enim et in Hecuba et in Troadibus, quamquam vivit, in amissorum liberorum numero, cum paelex Agamemnonis sit, ab Hecuba et aliis habetur.

Satis bene Theonoae orationes falsariis restiterunt. Primum Hartungius prioris orationis clausulam, v. 892 sq., (Iph. Aul. p. 42 sq.) delevit, cf. etiam Wilamowitz. an. E. p. 243. Alteram interpolationem Dingelstadius [1]) p. 54 notavit. Qui versuum 880 sq. verba ἥ σοι δυσμενὴς πάροιθεν ἦν, νῦν ἐστιν et καί quod exstat in κεἰς proscribi iubet, ut haec tantum relinquantur:

Ἥρα μὲν εὔνους εἰς πάτραν σῷσαι θέλει

de qua re sic argumentatur: ‚nusquam enim in hac tragoedia Iuno Menelao infesta perhibetur, sed ab initio partibus eius favet‘. Recte illud quidem, multo autem gravius est, quod illud Iunonis odium a toto hoc loco alienum est. Hic enim non quo animo nunc sit et quo antea eadem erga eum fuerit opponitur, sed Iuno propitia infestae Veneri, quarum altera ut servaret eum uxoremque elaborabat, altera ut perderet: quarum cum neutra adhuc effecerit, ut aut prorsus servaret aut prorsus perderet, eo nunc res pervenit, ut utra tandem victrix discedat hoc ipso tempore appareat necesse sit. Hoc igitur momentum, quo aut salus aut interitus venit, interpolator sibi sumpsit explicandum neque sensit in ipsa rerum

1) De Eur. Helena, dissert. Monast. 1865.

condicione totoque fabulae statu praesenti hoc esse positum. Equidem pro κεὶς non εἰς sed σ' εἰς scribo, necessarium enim censeo esse σέ obiectum, cui ξὺν τῷδ' adiungatur.

Helenae et Menelai orationes, quibus salutem a Theonoa impetrant, interpolandi occasionem dedisse satis amplam mirum non est. Etenim poeta ad illam commovendam argumenta adhibet gravissima, interpolator minora lavioraque addit aut quae poeta astrinxerat atque nervis aculeisque instruxerat, plerumque repetendo dilatat, laxat, enervat, delumbat. Accedamus ad Helenae orationem. Initium purgandi Hartungius fecit, qui versus 903—8 ab aretalogo quodam profectos in Iph. Aul. p. 30 sq. damnavit: idem senserunt G. Dindorfius, Badhamus (in comment. p. 12), Nauckius. Deinde versus 912 sq. cum Nauckio deleo. Sed ne quis, cum sagacissimus ille quidem criticus sed in suspicionem pronus rationes suspicionum pluribus in fabulis — studia eius Euripidea ad novem tantum fabulas spectant — reddere noluerit, temeritatis me arguat, quibus causis ipse ad eos versus eiciendos adducar demonstrabo. Helena versibus 909—18 Theonoam pietate ad Menelaum servandum adigi debere docet. Tale autem argumentum, quale versus 912 sq. praebent ‚ut Helena reddi possit, qui accepturus sit vivat est necesse' a tota hac oratione est alienum. Neque enim id agitur, qua condicione aut ratione illa reddi possit, nam hac re ipsa debere concederetur Theonoam reddere. Sed id ipsum nunc demum disseritur, utrum debeat reddere necne. Versus igitur 912 sq. tale exhibent argumentum, ut confirmanda res eadem re subito pro certo posita confirmetur! Sententia autem horum versuum per se ipsa cadit. Etenim si mortuus (Menelaus interficiendus) uxorem accipere non potest, id quod etiam per ταυτολογίαν (912a=912b3) pronuntiatur, qui potest fieri, ut Proteus (912 κεῖνος) re vera mortuus reddat? cf. etiam v. 965. Suo igitur ipsius argumento falsarius se confutavit. Sententiam ipsam ‚mortuus agere nequit' haud dubie sumpsit ex illo versu 965, quo loco (959—68) Menelaus Protea mortuum orans atque obsecrans Theonoam gravissime pietatis et officii admonet. Ibi igitur haec res vivae filiae egregie ante oculos proponitur, hic (912 sq.) ad neminem agentem nisi mortuum (!) spectans puerile interpolatoris ingenium prodit.

Sed nondum purgatam legimus hanc orationem: nonnullis ver-

sibus obelum praefigam. Rerum sententiarumque ordinem inspiciamus. Helena versibus 898—900 med. hoc orat, ne coniugem suum venisse fratri Theonoa aperiat, sed ut servet. Iam re ipsa proposita argumentatur. Ac primum quidem (900 extr. — 923) quae ratio Theonoae cum hac re intercedat disserit itaque officii eam monet, deinde (924 sqq.) miserrimam nunc esse ipsius condicionem atque si nunc servata sit fore ut omnia in bonum vertantur demonstrat itaque misericordiam captat. Prior pars ipsa videtur esse bipertita. Pietate autem (900—2) debere eam commoveri ad illum servandum inde a versu 909 fere hoc modo Helena confirmat: ‚me enim' — δέ saepius paene idem valere atque γάρ vel ex hac re cognoscitur, quod γάρ in codicibus saepius superscriptum est δέ coniunctioni — , . -‹ . Mercurius patri tuo dedit servandam coniugi meo, qui adest et recipere me vult. Tu autem, quae est pietas tua, quod deus mortuusque volunt, id facere debes: debes igitur illi uxorem reddere, cum id ipsum deus paterque mortuus velint'. Versibus autem 917 sq. sic concludit: ‚ergo probo patri (a^1) potius debes morem gerere quam stulto fratri' (a^2). Nova res sequi videtur, qua quid sit faciendum Theonoam edoceat: ‚Sed si quamquam vates es divinaque credis (b), iustitia patris perdita (a^1) iniusto fratri gratificaberis (a^2), turpe est vatem te esse (b), iusta nescire' (a in universum repetitur). Bis igitur eandem rem, qua (917 sq.) priorem iam partem (909—18) concludi vidimus, in altera parte legimus, nam res primum (920 sq.) in easdem atque supra (917 sq.) personas, patrem et fratrem, eodem modo divisa in universum altero loco (923 extr.) contrahitur. Quae cum in priore iam parte adhibeatur, quid in altera (919 sqq.), si alteram concedas, sibi velit non intellego. Deinde quod ad vatem Theonoam ita provocatur, ut versibus 922. 3 init. paene idem atque versu 919 exhibeatur uno vocabulo αἰσχρόν addito, parum elegantem esse hanc dicendi rationem nemo negabit. Iam vero ne haec quidem res est nova, sed sumpta ex versu 901. Εὐσέβεια enim cum ei proprie ibi tribuatur, fieri non potest, quin e v a t i s sanctimonia emanet eaque contineatur, unde pietatem et vatis sanctimoniam his locis inter se non differre manifestum est. Iam versus 901—23 duas res praebent ter allatas: utraque res in priore parte (900—18) semel, in altera (919—23) bis legitur. Cur utraque res bis repe-

tatur, interroges: ut quod debere Theonoam facere modo demonstratum est, si id non fecerit, ei tribuatur ignominiae. Num tales nugas Euripidi concedes? Nonne in natura officii ipsa positum est, ut si quis non praestiterit dignus sit qui vituperetur? Ergo quid opus est dicere? Forma accedit absona versuum 922 sq. pariter exeuntium: 922 ἐξειδέναι — 923 εἰδέναι. Verbis autem τά τ' ὄντα καὶ μή (923), cum de vate hic agatur, et praesentia te futura significari coniectura assequimur. sed haec vis verbis καὶ μή sc. ὄντα omnino non subest. Quibus vitiis Herwerdenus p. 209 Soph. O. R.) acute ille quidem, sed paulo audacius hac coniectura medetur: τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα, τὰ δὲ δίκαια μή. Sed tamen nescio an haec ipsa fuerit pristina interpolationis forma. Versus enim 922 sq., antequam Herwerdeni analecta tragica mihi innotescerent, ex versibus 13 sq. conficti mihi videbantur, nunc de hac re mihi persuasi:

13 sq. τὰ θεῖα γὰρ τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα πάντ' ἠπίστατο [1])
922 τὰ . . . θεῖα πάντ' ἐξειδέναι
923 τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα

Eiectis versibus 919—23 orationis pars prior, qua de officio Theonoae agitur, versu 918 finitur. Unde altera incipit, alio spectans, miserrima enim Helenae condicio describitur, misericordia elicitur. Iam lacunam post versum 923 a G. Hermanno coniectam non invenimus. Transitur enim ab altera persona (Theonoa) ad alteram (Helenam) simpliciter per solitum δέ, quod Barnesius pro tradito τε recte scripserat. Etiam post versum 902 lacunae signum ponitur falso, nam rem versibus 900 b--2 propositam versibus insequentibus (909 sqq., v. 903—8 cum Hartungio deletis) confirmari cognovimus. Atque illud quod poetae in hac oratione consilio recte intellecto adversantia sustulimus, effecit, ut totam orationem duabus lacunis notatam i. e. nullo ordine et consilio fluentem lutulentam ad pristinum ordinem et nitorem revocaremus. Hoc

---

[1]) Ceteros affero eiusmodi apud Euripidem locos:

Ion. 6 sq. Φοῖβος ὑμνῳδεῖ βροτοῖς
τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα θεσπίζων ἀεί.

Iph. T. 1263—7 φάσματ' ὀνείρων, οἳ πολέσιν μερόπων τά τε πρῶτα τά τ' ἔπειθ', ὅσ' ἔμελλε τυχεῖν ὕπνου κατὰ δνοφερὰς εὐνὰς φράζον. Homeri de Calchante illud Euripides imitatus est. A, 70:

ὃς ἤδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

autem loco quanta temeritate ei affecti sint cognosci potest, qui languidissima quaeque et pessima apud Euripidem aequo animo ferant. Nam haesitanti atque accuratius inquirenti medias per interpolationes verum poetae consilium se ostendet atque quantum Euripidea et interpolata inter se differant manifestum erit. — Restat tamen in versu 909 quod tollere non possumus vitium, sed non id, unde totius loci sententia detrimentum capiat. Μακαρίως et ἀθλίως adverbia sibi opponuntur, ἐμοί cui opponatur non habet, i. e. cui tandem bono illud ἔδωκε fuerit omnino nescitur. Num Badhami καιρίως satisfaciat, dubito. Schenkelius vero p. 451 cum hunc versum proscribit, ferro scindit nodum non solvit. — Etiam v. 914 ab eodem p. 451 damnatur ut supervacaneus. Equidem necessarium eum puto. Continetur enim versibus 909—11 rerum ipsarum condicio, unde quid colligatur versibus 915—7 init. exponitur. Sed hac voluntate Theonoam commoveri aut necesse esse commoveri nondum legimus: de hoc ipso officio versu 914 monetur per imperativum σκόπει. Versus autem 917b 8 quid ex versibus superioribus colligatur indicant.

Menelai oratio pariter atque Helenae, de officio Theonoae et sorte Helenae agens, bipertita est. Qui primum item officium illius sed maiore cum vi et calore proponit excurritque ad Plutonem, cui tot caedibus pro recuperanda Helena perpetratis satisfecisse sibi videatur, deinde illam, si fratrem adiuvare voluerit, nihil effecturam esse demonstrat. Neque huic orationi interpolationes satis amplae desunt. Herwerdenus p. 208 versus 954—8 delevit liturae rationes ut solet non professus. Quae cum hoc loco penitus lateant neque facile conspiciantur, ipse cur deleam explanabo. Versum 957 Nauckius optimo iure damnaverat. Nam ex Med. 446 fluxit paululum mutatus, Hel. loco, si enuntiatum condicionale respicias, non modo inutilis sed etiam absurdus est. Versus 954—8 verba tantum modo neque quidquam praebent, quod illam moveat. An in ὀρθῶς sc. ἀπολαβεῖν ζητοῦντα τὴν δάμαρτα positum est argumentum? Sed tale illam hercle non movet. Nam fratri potius quam viro alienigenae consulat necesse est. Deinde quod illud argumentum intra structuram totius loci occultatum est vitupero. Atque cur temere ei maledicat (958), non intellego. Tota vero precandi ratio εἰ μὲν δοκεῖ — ἀπόδος· εἰ δὲ μὴ δοκεῖ — ἄθλιος ἂν εἴην dissoluta ieiuna

frigida est. Tale quid Menelaus versibus 947—53 hercle non promisit, sed non dubito, quin versus 959 sqq. demum probatam ei orandi rationem afferant. Compares velim, quam egregie ille locus et hic inter se opponantur: 947—53 ,neque supplicando neque lacrimis dignitatem et gloriam meam imminuam', 959—61 ,sed quae me digna et iusta arbitror et quae tuum potissimum animum commovebunt, dicam . . .'. Quam orandi rationem uno tenore definiri ante preces ipsas nemo non videbit. Nunc genuinae preces sequuntur gravissimo nisae argumento (962—8), quarum cum calore et vita comparatae illae (954—8) videntur esse umbra exsanguis. Id autem ipsum quod petitur utroque loco est idem:

963 ἀπόδος, ἀπαιτῶ τὴν ἐμὴν δάμαρτά σε et

[955 sq. ζητοῦντά γ᾽ ὀρθῶς ἀπολαβεῖν δάμαρτ᾽ ἐμήν. ἀπόδος.

Sed interest, quod interpolator idoneum argumentum non praebet, Euripides preces optime confirmat. Cuius argumenti cum non minima pars versu 964 contineatur, a Badhamo dissentio, qui hunc versum delendum censet ,languidum et impeditum'. Interpolator autem maxime deprehenditur in absurdo δάμαρτ᾽ ἐμήν (955). Ex versu 963 id transtulit de hac re unice securus, utrum statim transire a tertia persona (954 sq. ξένον ζητοῦντά γ᾽) ad primam (955 δάμαρτ᾽ ἐμήν) per grammaticam liceret necne.

De exitu orationis admodum lubrico nunc disserendum est. Schenkelii argumenta, qui p. 451 versus 991—5 delet, rem nondum evincunt, equidem aliam viam ingressus aliisque argumentis usus versus 988—95 damno. Ac primum quidem de versibus 991 sq., quos Hartungius in Iph. Aul. p. 43 levius in suspicionem vocatos in ed. Hel. p. 226 sq. servare studuit, disputandum est. Versibus 988 sq. (et iam inde a v. 982) Menelaus Helenam, si servare domumque auferre non potuerit, ab ipso interfectum iri minatur. Qua ex denuntiatione cum verba (993) κτεῖν᾽, εἰ δοκεῖ σοι manent arteque cum ea cohaereant, versus 991 sq., quibus res prorsus alia commemoratur, sententiarum nexum moleste turbant[1]). Atque alienissimi sunt ab hoc loco, neque enim quidquam afferunt

[1]) Id quod codicis abb. Flor. librarius intellexisse videtur, quamquam falsam vitio adhibuit medelam: versum enim 991 Theonoae, 992 sqq. Menelao tribuit, in v. 991 δακρύεις scripsit.

nisi quod herois lacrimas Menelao non probari ex ineunte hac oratione repetunt, 947 sqq. Ibi enim de misericordia suppliciis et lacrimis concitanda ille dicit idque heroe indignum esse statuit, precandi igitur qualis ratio viaque ipsi ingredienda videatur (cf. etiam 959—61), praemonet. Contra hic (989 sq.) de precibus aut precandi modo omnino non agitur, sed de re ipsa, de caede perpetranda. Inepte igitur lacrimae hic opponuntur facinori: quid versibus 991 sq. servatis, si illud interficiendi consilium non cepisset, eo tempore, quo res ad summum discrimen venit, facturus esset? nonne nihil ageret desesque fleret ac lamentaretur? Deinde cur talem necandi causam ,ne ignavus sim' (991 sq.) ille afferat, non intellego. Namque paulo antea causam iustissimam, quae quidem Theonoae aperiri possit, hanc proponit: ,fore ut uxorem interficiat eo consilio, ne a Theoclymeno in matrimonium ducatur. Id enim agit, ut Theonoae fieri non posse persuadeat, ut, etiamsi ipsa velit, fratri illa tradatur, caedis vero culpam futuram esse in ipsa. Ergo versus 991 sq., cum rem alienam ex versibus 947 sqq. inepte huc translatam exhibeant, delendos esse censeo.

Priusquam locos vicinos in suspicionem vocemus, versum 993 sententia carentem emendare debemus. Post Reiskium, de quo infra agetur, F. G. Schmidtius (anal. Soph. et Eur. 1864 p. 103 sq.) in lectione huius versus haesit. Qui vulgatam verborum δυσκλεῶς γὰρ οὐ κτενεῖς interpretationem, qua suam mortem Menelaum significare volunt gloriosam, ,ignominiose enim nos non interficies', probari non posse recte monet, quod κτείνειν δυσκλεῶς non eius, qui necetur, condicionem describat, sed necantis potius famam: conferri iubet Or. 1132 sq.

εἰ μὲν γὰρ εἰς γυναῖκα σωφρονεστέραν
ξίφος μεθεῖμεν, δυσκλεὴς ἂν ἦν φόνος.

Neque enim potest fieri, quin adverbium verbo activo appositum ad subiectum spectet eiusque actionem, non ad obiectum idque quod patitur, praesertim hoc loco, quo obiectum est supplendum. Accedit quod ferri nequit hyperbaton vocabulo οὐ non suo loco posito, cum sententia, quam huic loco inculcant, requirat οὐ δυσκλεῶς κτενεῖς: est enim multum inter οὐ δυσκλεῶς κτενεῖς et δυσκλεῶς οὐ κτενεῖς, quorum enuntiatorum hoc, si recte intellexeris, id ipsum esse vult ignominiosum, quod Theonoa interfectura non sit. En

egregia argumentatio, qua a necando illa deterreatur. Quare Schmidtii coniectura δυσκλεεῖς γὰρ οὐ κτενεῖς et Herwerdeni δυσκλεᾶ (mnemosyne IV p. 381) reiciendae sunt. Deinde quod, qui adverbium verbo activo κτενεῖς adiunctum ad agentem personam referendum esse recte intellexit, adverbium adiectivo δυσκλεεῖς (δυσκλεᾶ) commutans totam rem permutavisse sibi videtur, reprehendo: ita enim intellegi vult, quasi legat οὐ δυσκλεεῖς θανούμεθα, quam vim illi enuntiato satis incerto inesse nego. Etenim quae exempla [1]) ad gloriose in mortis discrimine interituros spectantia p. 104 praebet, si loco nostro de gloriosa morte ageretur, non κτενεῖς, sed θανούμεθα scribendum fuisse satis demonstrant. Itaque cum κτενεῖς legamus, de illa gloriosa morte cogitari non potest. Id quod tota hac orationis parte inde a versu 975 pertractata ita intellectum habebimus, ut nihil dubii relinquatur: Menelaus, si uxor ipsi eripiatur, cum Theoclymeno vitae periculo sese esse decertaturum aut, si ille occasione decertandi non data sepulcro quasi asylo tectos fame enecare voluerit, uxorem et se interfecturum minatur, quarum minarum partem gravissimam, qua potissimum Theonoam ad salutem ipsis ferendam adducturus sit, quis est quin videat esse in his verbis:

985—7 κεισόμεσθα δὲ
νεκρὼ δύ' ἑξῆς τῷδ' ἐπὶ ξεστῷ τάφῳ
ἀθάνατον ἄλγος σοί, ψόγος δὲ σῷ πατρί. ?

Versus autem insequentes (988—90) nihil omnino novi afferunt ad commovendam illam, sed moriendi consilium versibus 982 sqq. denuntiatum repetunt. Quodsi versibus 991 sq. deletis in versu 993 pro falso οὐ scripserimus ‚σὺ' [2]) — equidem sic conicio —, conclusionem habebimus, ut oportet, ex hac (988—90) orationis parte, non aliunde petitam: ‚interfice, si tibi placet: ignominiose enim tu interficies (ignominiae enim caedes erit tibi): potius tamen meis obtempera verbis, ut sis iusta et uxorem ego accipiam'. Premitur enim in altera versus 993 parte δυσκλεῶς maxime, secundo

---

[1]) Or. 786, Her. 534, Alc. 150, 725, Cycl. 201, Aesch. Ag. 1303. Addo in meam partem Alc. 292, 938, Hipp. 687 sq., 1028, (Rhes. 752, 758, 761), Tro. 401 sq.

[2]) Reiskius, cum οὖν pro οὐ scripsit, rectam emendandi viam certe ingressus — οὐ enim tollendum esse perspexit — ad finem non pervenit.

autem loco neque multo minus σύ. Interpreteris igitur velim: ‚ignominiae, non honori caedes erit tibi, nemini alii'. Oratio enim ita concluditur (993—5), ut enuntiato priore (993 init.) id imperetur, quod qui dicit non vult, altero (994) id quod vult: utrique enuntiato quid hoc aut illo praecepto observato illa perceptura sit additur, quid mali admissa caede, non admissa quid boni. Opponuntur igitur inter se non modo ea quae imperantur, sed etiam ea quae rem exsecuturae promittuntur. Iam videas, quid velim: ut κτεῖνε et τοῖς ἐμοῖς πείθου λόγοις inter se opponuntur, ita enuntiato ἵν' ᾖς δικαία tale quid opponatur necesse est quale conieci: δυσκλεῶς γὰρ σὺ κτενεῖς. Hoc iam loco adnotaverim talem conclusionem mihi omnino non probari, non Euripidis esse, sed falsarii artificiosius rem rei opponentis. Suspicio orta hac re augetur, quod versus 988—93 nihil aliud praebent nisi res ex versibus 975—87 sumptas. Qua cura et anxietate eaedem deinceps res repetitae sint, ubi singulas res cum singulis composuero, oculi ipsi te docebunt: ‚975 [1]) si muliere me privare vultis, . . . 982—5 hanc et me interficiam: 985—7 nos necati ἀθάνατον ἄλγος σοί erimus' = ‚988 sq. neque enim aut frater tuus aut quisquam alius hanc in matrimonium ducet, 989 sq. sed ego eam abducam ad inferos: 993 b ignominiae caedes erit tibi'. Oratio igitur apta et concinna est, si versu 987 concluditur. Interpolator autem minoribus tantum rebus (976—81) praetermissis et quid et quomodo Menelaus prohibere velit et quam ignominiam caede admissa Theonoa susceptura sit iterum refert. Qua re nondum contentus de suo addidit versus languidissimos 994 sq., ut ignominiae proditione parandae opponeret servandi laudem. Qua in conclusione versificatorem deprehendimus ineptum et hebetem. Caedes v. 989 sq. proposita bis legitur in versu 993 κτεῖν'—κτενεῖς, versus vero 995 b (ἵν' . . .) καὶ δάμαρτ' ἐγὼ λάβω quam alienus sit ab hoc loco neminem effugere potest, nam id ipsum petitur, ut uxor reddatur. Atque quo tandem verba τοῖς ἐμοῖς πείθου λόγοις spectare censes? Nonne uxorem esse reddendam monent? cf. 962—8 et 973 sq. Incidit igitur falsarius in

[1]) Cur versum 975 Schenkelius (p. 451) eiciat, non assequor. Saepius vero argumentis paene nullis usus i. e. iniuria proscribit: 304 sq., 772, 833 sq., 909, 914, 1678.

tale vitium, ut argumenti loco, quo res quaedam efficeretur, eandem rem adhiberet ipsam. Histrionibus autem hanc interpolationem tribuo, cuius color plane rhetoricus caede potissimum ultra modum iactata ad commovendos spectantium animos quaesitus esse videatur. Versus autem 991 sq., quamquam colore simili sunt, non ab eodem interpolatore atque versus 988—90 et 993—5 scripti sunt, nam rem his versibus narratam et ex versibus 975—87 sumptam intercipiunt mediam aliunde (ex 948 sqq.) conficti.

Quibus ex partibus altera Theonoae oratio constet, qua Helenae et Menelai precibus respondet, Badhamum audi recte disserentem: ‚Tres recenset Theonoa, ad quos Helenae restitutio pertingat; se ipsam, patrem, fratrem. Atque hoc quasi capitulo orationi praemisso, fusius rem exsequi, eodem ordine servato, pergit. Itaque usque ad 1006 (1007 Nck.) de se, deinde de patre, tum ab 1017 (1018 Nck.) de fratre loquitur. Hanc perspicuam seriem turbabat ineptum illud φανήσομαι (1001) quo in φανήσεται mutato effeci ut Theonoa et ταυτολογίαν vitaret et se dignam rationem redderet‘. Unde versibus 1018 extr. — 21 cur etiam fratri restituta coniugi Helena commodo vero sit illam exponere patet. Ergo verbis ὡς οὖν περαίνω μὴ μακράν (1017) non ab argumentis ad exitum totius orationis finemque transitur, sed ab altero argumento (de patre) ad tertium idque postremum (de fratre): summa finito demum hoc tertio membro versibus 1022. 3 indicatur:

αὐτοὶ μὲν οὖν τιν᾽ ἔξοδόν γ᾽ εὑρίσκετε,
ἐγὼ δ᾽ ἀποστᾶσ᾽ ἐκποδὼν σιγήσομαι.

Hanc ipsam summam (1023) v. 1017—8 σιγήσομαι ἅ μου καθικετεύσατ᾽ inepte occupat. Huc accedit, quod intra tantulum spatii duo versus in idem vocabulum σιγήσομαι exeunt. Equidem Euripidem haec tantum scripsisse arbitror:

1017, 8 ὡς οὖν περαίνω μὴ μακράν, οὐ (pro οὐδέ) μωρίᾳ κτλ.

Quod enuntiatum poeta cum 1020 sq. tam arte (leviter tantum post versum 1019 interpuncto) me iudice coniungi voluerat, ut ‚cum fratri stulto non obsequor, commodo eius servio‘ intellegeretur. Huius igitur tertii argumenti pars gravissima versu 1020 (εὐεργετῶ) continetur. Falsarius autem cum in versibus 1018b—9 totius orationis summam invenire sibi visus, qua re Theonoa illos adiutura

esset, accuratius describere vellet, promissum eius σιγήσομαι ex versu 1023 praesumpsit verbisque versus spatium explevit.

Versus 1013—6 [1]) G. Dindorfius et 1008 Badhamus recte eiecisse mihi videntur.

Helenae fabulae orationum agmen Dioscurorum ἐπιφάνεια claudit. Cuius in locum coniecturis multis temptatum, v. 1670 sqq., inquiram. Quid viri critici in emendando profecerint, breviter exponere liceat, quid ipse novi invenisse mihi videar addere. Rauchensteinius (philol. XXII p. 201) in versu 1670, cum ὁρίζειν aut ‚terminare' aut ‚statuere' aut ‚separare' significans ad rem non sit aptum neque cum Matthiaeo ‚ubi te Mercurius constituit (hinstellte)' intellegi possit, recte sic scribit: οἷ δ' ὥρμισέν σε i. e. ‚quo te transtulit (in portum vel in tutum)'. Maxima autem difficultas nondum expedita in versu 1671 inest. Ne duobus simul ex locis. et Lacedaemone et ex caelo, in quo eam (tum) non fuisse nemo negabit, una Helena rapi dicatur, viri docti alii alia coniciunt. Heathius et Reiskius τῶν κατ' Εὐρώταν δόμων, sed non est, cur bis iuxta Lacedaemon, unde rapta sit, commemoretur. Simpliciter sane G. Hermannus huic loco mederi conatur hoc modo interpungens:

οὗ δ' ὥρισέν σε πρῶτα Μαιάδος τόκος
Σπάρτης, ἀπάρας τῶν κατ' οὐρανὸν δόμων,

sed quamquam verbi ἀπάρας neutrali vi concessa hoc ‚ἀπάρας τῶν κατ' οὐρανὸν δόμων' de Mercurio e caelo profecto sine dubio dici potest, multo tamen facilius aptiusque Σπάρτης cum verbo ἀπάρας proxime posito coniungitur quam cum verbo ὥρισεν longius remoto. Deinde cum ex locis [2]) ad ὁρίζειν allatis eius verbi ‚separandi (trennen)' vim ab eo hic proponi cognoverim, quomodo οὗ accipiam ignoro, neque enim quidquam aliud relinquitur nisi ut vertamus: ‚ubi (wo) autem separavit te primo Maiae filius Lacedaemone'. ‚Ubi'

---

1) Versus 1013—6 iam ab Hartungio in Iph. Aul. p. 31 damnati erant.

2) Hec. 939 sqq.

ἐπεὶ νόστιμον ναῦς ἐκίνησεν πόδα
καί μ' ἀπὸ γᾶς ὥρισεν Ἰλιάδος.

Soph. Phil. 635 sq.

ἀλλ', ὦ τέκνον, χωρῶμεν, ὡς ἡμᾶς πολὺ
πέλαγος ὁρίζῃ τῆς Ὀδυσσέως νεώς.

autem ad Helenam insulam spectat. Sed si quis quo loco abducitur, utrum statim, cum abducitur paululumque viae ab illo loco abest, an tum demum, ubi loco remotiore quodam constitit, illum locum priorem reliquisse recte dicitur? Nempe statim, cum paululum abest? Si vero quis cum Barnesio verba τῶν κατ᾽ οὐρανὸν δόμων κλέψας δέμας σόν de simulacro Helenae ex aethere conficto dicta esse arbitretur, is omnia, etiam quae expediri nequeant, suo arbitrio et nutu expediat. Nam κλέψας, si ita interpreteris, est absurdum, cum non furtim, sed deae iussu Mercurius illud e caelo (!) abstulerit. Num ‚ex caelestibus domibus‘ auferri recte id perhibeatur, quod ex aethere sit confictum [1]), magnopere dubito. Denique δέμας est ‚corpus‘, non ‚simulacrum‘. Non male Badhamus conicit τῷ κατ᾽ οὐρανὸν δρόμῳ κλέψας δέμας σόν, cui coniecturae sententiam, qualis in Iph. T. 29 sq. διὰ δὲ λαμπρὸν αἰθέρα πέμψασά μ᾽ (cf. 28 ἐξέκλεψεν) inveniatur, inesse vult: pro δρόμῳ ipse affero Ion. 1563 Παλλάς, δρόμῳ σπεύσασ᾽ Ἀπόλλωνος πάρα. Sed hoc vitium relinquitur, quod participium ἀπάρας participio simili excipitur, ut paene glossam deprehendere videamur. Quare ego sic scripserim: [2])

οἵ δ᾽ ὥρμισέν σε (cum Rauch.) πρῶτα Μαιάδος τόκος
— Σπάρτης ἀπᾶραι τοῖς κατ᾽ οὐρανὸν [3]) δοκοῦν —

---

1) Cf. 31—4

Ἥρα δὲ . . . δίδωσι δ᾽ οὐκ ἔμ᾽, ἀλλ᾽ ὁμοιώσασ᾽ ἐμοὶ
εἴδωλον ἔμπνουν οὐρανοῦ ξυνθεῖσ᾽ ἄπο

et 582—6

ΕΛ. οὐκ ἦλθον εἰς γῆν Τρῳάδ᾽, ἀλλ᾽ εἴδωλον ἦν.
ΜΕ. καὶ τίς βλέποντ᾽ ἀγάλματ᾽ *) ἐξεργάζεται;
ΕΛ αἰθήρ, ὅθεν σὺ θεοπόνητ᾽ ἔχεις λέχη.
ΜΕ. τίνος πλάσαντος θεῶν; ἄελπτα γὰρ λέγεις.
ΕΛ. Ἥρας, διάλλαγμ᾽, ὡς Πάρις με μὴ λάβοι.

*) libri βλέποντα σώματ᾽, optimo iure βλέποντ᾽ ἀγάλματ᾽ Prinzius (Arthuro Ludwich discessuro valed. p. 4), nam illud ‚simulacrum‘ hominis naturam induisse Menelaus miratur.

2) Non male, sed audacius Wold. Ribbeckius (in E. Hel. coniect. in progr. gymn. Louisenst. Berol. 1865 p. 21) τῶν τυραννικῶν δόμων κλεφθὲν δέμας σόν.

3) οἱ κατ᾽ οὐρανόν ‚caelestes‘, id quod hac analogia probatur: Aesch. Prom. 896 μηδὲ πλαθείην γαμέτᾳ τινὶ τῶν ἐξ οὐρανοῦ. Plat. rep. VI p. 508A οἱ ἐν οὐρανῷ θεοί. Eur. Hel. 491 εἷς γὰρ ὅ γε κατ᾽ οὐρανόν.

κλέψας δέμας σόν i. e. ‚quo autem transtulit te primo Maiae filius, cum Lacedaemone amovere (sc. te) caelestibus placeret, furtim ablato corpore tuo (furtim ablatam)'. Δοκοῦν absolute positum apud Euripidem inveni his locis:

Hec. 117—9

δόξα δ' ἐχώρει δίχ' ἀν' Ἑλλήνων
στρατὸν αἰχμητήν, τοῖς μὲν διδόναι
τύμβῳ σφάγιον, τοῖς δ' οὐχὶ δοκοῦν.

Hec. 505 sq.

ὦ φίλτατ', ἆρα κἄμ' ἐπισφάξαι τάφῳ
δοκοῦν Ἀχαιοῖς ἦλθες;

Iam versum 1673 in libris miserrime scriptum viri docti sic emendaverunt: φρουρὸν παρ' Ἀκτῇ [1]) (G. Hermann.) τεταμένην (Reiskius) νῆσον λέγω. G. Hermannum, cum de insula Atticae obiecta cogitans παρ' Ἀκτῇ pro παρ' ἀκτήν scriberet, non errasse testes sunt scriptores veteres, qui praeter hanc insulam nullam noverint Ἑλένην nominatam. Neque omnes hos locos perscriberem, nisi quae expositurus sum eorum pars satis magna ex Helena insula nusquam alibi nisi apud Atticam sita penderet. Anonymi vulgo Scylacis Caryand. peripl. ed. Fabricius 1878: 58 Κατὰ δὲ τὴν Ἀττικήν εἰσι νῆσοι αἱ Κυκλάδες καλούμεναι καὶ πόλεις αἵδε ἐν ταῖς νήσοις. Κέως — αὕτη τετράπολις· Ποιήεσσα πόλις καὶ λιμήν, Κορησσία, Ἰουλίς, Καρθαία —, Ἑλένη, Κύθνος νῆσος καὶ πόλις, κτλ. — Strab. ed. Meineke, 10, 5, 3 (p. 485) Κατ' ἀρχὰς μὲν οὖν δώδεκα λέγονται· προσεγένοντο δὲ καὶ πλείους. Ἀρτεμίδωρος γοῦν [πεντεκαίδεκα] διαριθμεῖται, περὶ τῆς Ἑλένης εἰπὼν ὅτι ἀπὸ Θορίκου μέχρι Σουνίου παράκειται μακρὰ σταδίων ὅσον ἑξήκοντα τὸ μῆκος, ἀπὸ ταύτης γάρ, φησίν, αἱ καλούμεναι Κυκλάδες εἰσίν· ὀνομάζει δὲ Κέω τὴν ἐγγυτάτω τῇ Ἑλένῃ. — idem 9, 1, 22 (p. 399) πρόκειται δὲ τῆς παραλίας ταύτης πρὸ μὲν τοῦ Θορίκου καὶ τοῦ Σουνίου νῆσος Ἑλένη τραχεῖα καὶ ἔρημος, παραμήκης ὅσον ἑξήκοντα σταδίων τὸ

[1]) De Acte cf. quos H. Stephanus commemorat lexicographos et scriptores, qui maritimam Atticae partem quae ad orientem spectet proprio nomine Ἀκτήν tradunt appellatam fuisse. Nomen scilicet a re ipsa sumptum est, maritima enim terrae pars est ἀκτή sc. γῆ. Quo nomine etiam tota Attica interdum appellata est, quam ipsam item a maritimo situ denominatam esse apparet, Ἀττική enim est ἀκτική sc. γῆ.

μῆκος, ἧς φασι μεμνῆσθαι τὸν ποιητὴν ἐν οἷς Ἀλέξανδρος λέγει πρὸς τὴν Ἑλένην „οὐδ᾽ ὅτε σε πρῶτον Λακεδαίμονος ἐξ ἐρατεινῆς [ἔπλεον] ἁρπάξας ἐν ποντοπόροισι νέεσσι, νήσῳ δ᾽ ἐν Κρανάῃ ἐμίγην φιλότητι καὶ εὐνῇ". ταύτην γὰρ λέγει Κρανάην τὴν νῦν Ελένην ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ γενέσθαι τὴν μῖξιν. μετὰ δὲ τὴν Ἑλένην ἡ Εὔβοια πρόκειται τῆς ἑξῆς παραλίας, ὁμοίως στενὴ καὶ μακρὰ καὶ κατὰ μῆκος τῇ ἠπείρῳ παραβεβλημένη καθάπερ ἡ Ἑλένη. — Pomponius Mela de chorogr. ed. Parthey 1867 II. 109 (p. 57) in Atthide Helene est nota stupro Helenae, et Salamis excidio classis persicae notior. — Pausaniae descriptio Graeciae ed. Schubart et Walz 1838. 1, 35, 1. Νῆσοι δὲ Ἀθηναίοις οὐ πόῤῥω τῆς χώρας εἰσίν· ἡ μὲν Πατρόκλου καλουμένη· τὰ δὲ ἐς αὐτὴν ἤδη μοι δεδήλωται· ἄλλη δὲ ὑπὲρ Σουνίου τὴν Ἀττικὴν ἐν ἀριστερᾷ πλέουσιν· ἐς ταύτην ἀποβῆναι λέγουσιν Ἑλένην μετὰ τὴν ἅλωσιν τὴν Ἰλίου, καὶ διὰ τοῦτο ὄνομά ἐστιν Ἑλένη τῇ νήσῳ. — idem 8. 14, 12 οὐκ ἂν οὖν τό γε πέλαγος τὸ Μυρτῷον ἀπὸ Μυρτίλου τοῦ Ἑρμοῦ φαίνοιτο κεκλημένον ἀρχόμενόν τε ἀπὸ Εὐβοίας καὶ παρ᾽ Ἑλένην ἔρημον νῆσον καθῆκον ἐς τὸ Αἰγαῖον. — Stephanus Byzantius apud H. Stephanum s. v. Ἑλ., νῆσος τῆς Ἀττικῆς. Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Ἐκεῖ γὰρ ἀποβῆναί φασι τὴν Ἑλένην μετὰ τὴν ἅλωσιν Ἰλίου· ἐκαλεῖτο δὲ Μακρὶς διὰ τὸ μῆκος. — Eustathius ad Iliad. Γ, 445. Ὅρα δὲ καὶ ὅτι κατὰ τὴν Ὁμηρικὴν ἱστορίαν οὐκ ἐν Σπάρτῃ τὴν ἀρχὴν ἐμίγη Ἀλέξανδρος τῇ Ἑλένῃ, σπεύδων ἵνα μὴ καταφανὴς γένηται, ἀλλ᾽ ἐν Κραναῇ νήσῳ. ἄδηλον δέ φασιν εἴτε κύριον τῆς νήσου τὸ ὄνομα διὰ τὸ κρανθῆναι ἤτοι τελειωθῆναι ἐπ᾽ αὐτῆς τὸν γάμον, εἴτε τραχεῖα ἐπιθετικῶς εἴρηται. τινὲς νοοῦσι τὰ Κύθηρα, νῆσον Ἀφροδίτης ἱεράν. οἱ δὲ τὴν λεγομένην νῆσον Ἑλένην, πρὸς τῇ Ἀττικῇ οὖσαν, ἐγγυτάτω τῆς Κέω κατὰ τὸν γεωγράφον, ἀπὸ τῆς Ἑλένης ὁμωνύμως κληθεῖσαν [1]), διότι ταύτης πρῶτον ἐπέβη ὅτε ἡρπάγη. ἔστι δὲ περιμήκης ὅσον ἑξήκοντα σταδίους. Tandem ad rem ipsam mihi propositam pervenio. Vereor enim, ne versus 1670—5, quamquam satis emendati intellegi possunt, universi tamen digni sint litura. Nam Helena insula copiose commemorata a toto hoc loco abhorret. Vehementer miror, quod celerrimus deorum διάκτορος in hac insula, Atticae obiecta, Aegyptum

[1]) Utroque exemplo et Romano et Lips. inspecto textum exhibui. Quamquam utrumque κληθῆσαν praebet, κληθεῖσαν scribo.

petiturus constitit. An putas lassitudine confectum ibi eum se refecisse et curasse? Neque id, quod de Paride cum Helena ibi primum concumbente Homerus Γ 443—5 cecinit, in Mercurium et Helenam cadere potest. Immo a sciolo quodam illius fabulae Homericae memore, qui neque quantum interesset inter Paridem et Mercurium, neque alia, quae infra exponemus, curaret, tales nugas huic epilogo Euripideo inculcatas esse arbitror. Ne hoc quidem fieri potest, ut primo Lacedaemone tantum amovendae consilium Iunonem cepisse putemus, Mercurium raptam abstulisse in illam insulam suo arbitrio, tum demum illam, ubi Protea, cui traderetur servanda, indagasset et repperisset, ut in Aegyptum transferretur, deorum nuntio imperasse. Hoc modo si res evenisset, summam deam in re ut deae facillima haberemus ἀμήχανον. Redeo nunc ad Mercurium Lacedaemone in Aegyptum proficiscentem et in hoc ipso itinere Helenam insulam attingentem! Num Euripidem — velim autem reputes Atheniensem eum fuisse, Athenienses maritimis rebus operam tum dedisse inter omnes gentes maximam — ubi haec loca satis nota, imprimis Atticae insula Atticis, sint sita et quomodo inter se distent, tam inscium habere licebit, ut eam insulam, qui Lacedaemone in Aegyptum recta via properaret, praesertim volando deorum nuntius, eum nunquam attingere posse ignoraverit? Cernitur autem hac quoque in re interpolator illius loci Homerici memor, nam si Lacedaemone Helenam insulam profecti eundem cursum tenere voluerimus, fieri non poterit, quin Troiam quoque — sic enim iter, quod codicum auctoritate ducti inierimus, continuabitur directe, — perveniamus: videbimus igitur a recta via una cum falsario esse nos aversos neque in Aegyptum perventuros. Accedit res gravissima. Helenam, quae ipsi Lacedaemone auferendae acciderint et quomodo in Aegyptum ablata sit, copiose in prologo narrare nemo negabit, sed de hac insula altum est silentium, item tota fabula nusquam alio nisi in Aegyptum Lacedaemone perhibetur amota: in prologo versus 44—8; 241—9, (273 sq.), 669—71, 682, 909—11, 964; in epilogo 1650 sq. Sed si quis huius insulae defendendae causa adnotaverit in epilogis Euripideis deum quem dicunt ex machina saepius praedicere fore ut locus ad actae rei memoriam servandam ab hoc ipso, qui primas partes egerit, apelletur, omnibus epilogis cognitis non saepius quam

ter hanc rem inveniemus. hos autem ipsos tres locos perscrutati quasi legem quandam, quae ultro quoque se offert, habebimus, unde alienam esse ab hoc epilogo eam insulam patet. Sunt autem hi loci inspiciendi: Or. 1643—7. El. 1273—5. Iph. T. 1449—57. Quorum duo priores de eadem re similiter praemonent, de Orestio oppido Arcadico ad Orestis exsilii memoriam ab eodem denominando, tertius autem praecipit de templo Dianae Tauropolae [1]) in Attica ad Orestis in Tauros profecti memoriam aedificando denominandoque ab hac dea. Atque hac in re tres de quibus agimus loci congruunt, quod nullius regionis aut urbis monumentum proprie appellando praedicitur celebratum iri nisi eius regionis, quae ad fabulae argumentum spectet, id quod in Iph. T. epilogo luce clarius est, in Or. et El. epilogis, cum matris caedem si nihil aliud, exsilium necesse sit sequatur, facile cognoscitur. Restat locus similis extremae Hecubae fabulae, v. 1259—73. Ibi Polymestor Hecubae in canem mutandae sepulcrum κυνὸς ταλαίνης σῆμα nominatum iri vaticinatur. Iam cum scaena et fabulae et μεταμορφώσεως eodem loco (cf. v. 1259 sqq., hypoth. I (Nck. 3) p. 138 l. 11 sq.) constituatur atque hac Hecubae μεταμορφώσει et morte quasi exitus quidam totius fabulae contineatur, κυνὸς ταλαίνης σῆμα cum argumento fabulae plane cohaeret. Atque re vera ratio hoc postulat, ut de rebus ad rem pertinentibus poeta loquatur, non de quibuslibet aliis. Quare Helena insula, quippe quae ab argumento fabulae abhorreat, ferri nequit. Multo vero aptius de Aegypti ora, ubi scaena fabulae est, aliquid tale legeretur. Id tamen Euripides tradere non potuit, propterea quod nullum Aegypti oppidum tali nomine appellatum fuit.

---

1) Prava illa quidem etymologia, sed Graecis solita. cf. Preller-Plew. gr. mythol. 1872 I p. 251 sq.

Appendicula.

Ex aliis tribus Euripidis fabulis singulos locos eiciam.

Baccharum versus 239—41 Kirchhoffius post 246 collocari iubet, post 247 Schoenius, suspectos Middendorfius observ. in Eur. Bacch. p. 4 sq. habet. Qui omnes quamquam in versibus 239—47 optimo iure haeserunt, rectam emendandi viam ingressi non sunt. Immo versus 242—7[1]) spurii sunt. Ac primum quidem de versibus 242—5 disputandum est. Qui disciplinam continent tam arcanam, ut Pentheus non modo non initiatus mysteriis sed etiam contemptor Bacchi de hac re ne audivisse quidem possit. Conferendi sunt versus 465—79, unde nihil arcani eum scire patet. Atque re vera res Bacchanales interpretatur naturalem in modum: stupri cupiditate feminas Thebanas ad bacchandum adduci arbitratur. Ne Tiresias quidem, qui deum novum colere animum induxit, quidquam aliud praedicat nisi ea, quae oculis cernuntur aut sensibus percipiuntur: non de miraculis[2]), sed de natura ipsa vini innatisque ei viribus naturalem in modum disserit itemque vino feminas ad stuprum illici negat. Quae ratio inter versus 246 sq. et superiora (inde a v. 216) intercedat videamus. Pentheus, quod feminae Thebanae

[1]) Sero novissimam inspexi Baccharum editionem a Wecklino curatam, qui eosdem versus 242—7 damnat. Sic quoque, quae ego de hoc loco scripsi, stare possunt.

[2]) V. 286—97 cum G. Dindorfio delendi sunt. Ex parodo, Baccharum ipsarum carmine (cf. 88—98), res sumpta esse mihi videtur. Atque Bacchum ἐν μηρῷ Διὸς ῥαφέντα falsarius duobus etymis insequitur misere inter se mixtis:

ἐν μηρῷ Διὸς ῥαφείς { = ἐν μέρει αἰθέρος ῥαφείς
= ὅμηρος ab Iove Iunoni traditus (etymon ineptissimum).

bacchantur, vituperat, id se agere dicit, ut ab hoc furore per vim eas revocet, iuvenem autem Lydium i. e. Bacchum, a quo ad talem temeritatem instituantur et corrumpantur, (securi) esse percutiendum. Iam habemus, et quid deliquerit iuvenis peregrinus et quomodo animadvertere in eum ille velit. Sequitur autem (242—7) eadem res bipertita, scelus et poena, quamvis alia esse prior pars videatur. Scelus enim nunc non in facinore, sed in doctrina positum est, eadem tamen atque supra poena denuntiatur ita mutata, ut laqueus, non securis eum maneat. Iam duas eiusdem rei narrationes hoc loco exstare in diversas partes spectantes videmus. Quare cum Pentheus ex rebus Bacchanalibus naturalia tantum excipere soleat neque quidquam de disciplina scire possit, prior narratio (233—8 et 239—41) sit genuina, spuria posterior (242—5 et 246 sq.) necesse est. Quae interpolandi occasio fuerit, quaeras: simillima atque illo Helenae loco [256—9]. Et τέρας ibi (Hel. 260) et hoc loco θαῦμα (Bacch. 248), vocabula simillima, ad verbum, non ad sententiam ab interpolatore accepta sunt. Hic quoque re mira, feminis Thebanis a mago Lydio corruptis, non contentus portentum ipsum desideravit sumpsitque cum aliunde tum ex versibus 284—97, qui ipsi ex versibus 88—98 conficti erant. Unde et quae interpolator mutuatus sit, in tabulas referam:

[242] ἐκεῖνον [1]) εἶναί φησι Διόνυσον θεόν, cf.
cf. 27 Διόνυσον οὐκ ἔφασκον ἐκφῦναι Διός,

[243] ἐκεῖνος ἐν μηρῷ ποτ' ἐρράφη Διός, =
= [286 sq.] ὡς ἐνερράφη Διὸς μηρῷ (cf. 295) confict. e 96

[244] ὃς ἐκπυροῦται λαμπάσιν κεραυνίαις cf.
cf. [288 sq.] ἐπεί νιν ἥρπασ' ἐκ πυρὸς κεραυνίου confict. ex 92 sq.

[245] σὺν μητρί, Δίους ὅτι γάμους ἐψεύσατο. cf.
cf. 31 Ζῆν' . . . ὅτι γάμους ἐψεύσατο.

[246] ταῦτ' οὐχὶ δεινῆς ἀγχόνης ἐπάξια,
[247] ὕβρεις ὑβρίζειν (cf. 1297), ὅστις ἔστιν ὁ ξένος; (cf. 220) } cf.

cf. { 240 παύσω κτυποῦντα θύρσον ἀνασείοντά τε
241 κόμας, τράχηλον σώματος χωρὶς τεμών.

[1]) ἐκεῖνος libri, emend. Elmsleius.

Quam temere et inepte verba ὅτι γάμους ἐψεύσατο (245) ex versu 31 huc transtulerit, patet, nam si sententiam rectam habere velis, ad Semelen referenda sunt, ad Bacchum, si male narrantem sequaris falsarium. Atque τόδ' ἄλλο θαῦμα (248), ut eum transversum egit, ita nos ad verum ducit. Nam Pentheum, cum miretur, quod etiam Tiresias et Cadmus Bacchum colant (τόδ' ἄλλο θαῦμα), antea miratum esse manifestum est, quod feminae Thebanae a mago peregrino ad eundem Bacchum colendum adductae essent: id ipsum est prius θαῦμα. Quam rationem huic loco cum illo intercedere illud quoque confirmat, quod utroque loco de opprimenda re mira Pentheus cogitat. Mago enim interfecto feminas per vim, viros admonendo ad sanitatem reducere vult. Falsarii autem cura et anxietas in hac re cernitur, quod, quoniam prius miraculum genuinum morte denuntiata (239—41) finitur, spurium (242—5) eodem modo (246 sq.) concluditur. Simillimi autem inter se hic Baccharum locus et ille Helenae sunt. Utroque loco τέρας (vel θαῦμα) in eo versatur, quod qui dicit rem quandam miratur et capere se posse negat, utroque loco portentum ipsum inserens interpolator effecit, ut tota oratio non satis intellegeretur.

Electrae versus 936 sq. post versum 931 ponendos esse Schenkelius (ztschr. f. öst. gymn. XXV (1874) p. 93) demonstrasse sibi videtur, quod non versus 933—5 confirmarent, sed versum 931. Qui versus (936 sq.) illud quidem cur liberi a matris nomine appellati ab Electra despiciantur non probant, sed hoc monent eandem condicionem hoc loco exstare: Aegisthi et Clytemestrae liberos re vera a matris nomine denominari. Laxe autem et non apte hoc enuntiatum superiori adiunctum est, inter quae tale desideratur medium: ‚atque Clytemestrae quoque in domo haec est condicio'. Ut brevis sim, versus 936 sq., sive libros sive Schenkelium transponentem sequimur, neque idoneum neque verum praebent argumentum. Neque enim in nobilitate aut opibus Clytemestrae principatus est positus, sed in hac re, quod Aegisthus animo est inferior quam illa mulier superbissima. Quae res nemini ignota cur exponatur et declaretur non est, neque enim poetae est spectatori nihil relinquere ad cogitandum. Interpolatoris igitur illud argu-

mentum et inutile et falsum censeo esse. Rem versu 937 narratam ex versu 931 confinxisse videtur. Accedit ἀνακόλουθον ,γήμαντι', de quo disputare supersedeo, cum Holthoefer (animadv. in Eur. Herc. et Alc. Bonnae 1881 p. 19 sqq.) interpolatores ἀνακολούθῳ saepius usos esse — (me iudice) inscii in ea inciderunt — compluribus locis examinatis nuperrime docuerit. Huc adde, quod ego non tam propter ἀνακόλουθον quam aliis de causis et hunc Electrae locum et Helenae versus 287—92 (ἀνακ. v. 288 sq. praebent) proscribo. Iam vero falsarium repetentem (El. 936 sq. del.) accuratius intuens altero loco proximo reperio. Legimus enim intra septem versus (931 — 7) paene eandem rem ter verbis similibus expositam atque additam eidem rei similem:

931 ὁ τῆς γυναικός, οὐχὶ τἀνδρὸς ἡ γονή.
932 sq. προστατεῖν γε δωμάτων γυναῖκα, μὴ τὸν ἄνδρα·
937 τἀνδρὸς μὲν οὐδείς, τῶν δὲ θηλειῶν λόγος.
} paene idem

934 sq. ὅστις τοῦ μὲν ἄρσενος πατρὸς οὐκ ὠνόμασται, τῆς δὲ μητρὸς ἐν πόλει.

Animadvertas velim, qua morositate in omnibus his enuntiatis, praecipue in tribus prioribus ,vir et mulier' sibi opponantur. An Euripidem tam ineptum et hebetem esse putabis, ut semel inventa nunquam omittat, ad taedium usque repetat? Atque versibus 936 sq. iam eiectis etiam verba (932 sq.) προστατεῖν γε δωμάτων γυναῖκα, μὴ τὸν ἄνδρα Euripidi abiudico, namque quid turpe sit, non ignoramus, cum τόδ' ad versum superiorem (931) referri possit. Verba autem προστατεῖν κτλ. nihil novi continent, sed rem versu 931 propositam repetunt, quae paululum mutatur. Euripides, nisi egregie fallor, haec scripserat post versum 931:

932 et 3 = καίτοι τόδ' αἰσχρὸν ἀνδρί· κἀκείνους στυγῶ κτλ.

Virum atque etiam liberos contemnendos esse, ubi mulier viri sit domina, apte et concinne mihi videtur dixisse. Ἀνδρί enim post αἰσχρόν (932) coniciendum esse ex altero contemnendorum genere (κἀκείνους στυγῶ τοὺς παῖδας) patet. Interpolator autem post verba καίτοι τόδ' αἰσχρὸν ἀνδρί, quid turpe esset, iterum addidit structuramque supplevit, qua re genuinum ἀνδρί submotum est. Ineptum vero est, et ante αἰσχρόν et post αἰσχρόν eandem rem ponere, quam esse turpem dicas.

Heraclidarum versus 242—6 [1]) proscribam. Demophon Iolao pro Heraclidis verba facienti haec respondet:

236 τρισσαί μ᾽ ἀναγκάζουσι συννοίας [2]) ὁδοί,
Ἰόλαε, τοὺς σοὺς μὴ παρώσασθαι λόγους.

Sequuntur hae causae:

1) Ζεὺς Ξένιος i. e. hospitii ius sacrosanctum (238 sq.)
2) consanguinitas (240 init.)
3) gratia Heraclidis, cum Hercules de Theseo optime meruerit, reddenda (240 sq.)
4) ignominia a patria propulsanda (242—6).

Iam vero cum τρισσαί causae supra promittantur, una ex his quattuor sit subditiva necesse est. An eo confugere licet, ut duas causas in unam contrahamus? Prima secunda quarta aperte inter se diversae sunt. Sed ne tertia quidem cum secunda coniungi potest, cum in tertia nullo modo de consanguinitate inter Heraclidas et Thesidas intercedente agatur, sed de officio, quod a Theseo patre Demophon receperat. Iolaus quoque consanguinitatem et officium Heraclidis praestandum diversas esse causas voluit, cum hoc modo monuit 213 sqq.:

γένους μὲν ἥκεις ὧδε τοῖσδε, Δημοφῶν·
ἃ δ᾽ ἐκτὸς ἤδη τοῦ προσήκοντός σε δεῖ
τῖσαι, λέγω σοι, παισί·

Iam quae causa sit interpolata quaerendum est. Atque secundam et tertiam genuinas esse Iolai oratione lectitata apparet, cf. 205—13 et 214—9. Prima quoque genuina est, nam Iovem hospitalem summa religione a se coli Demophon paulo postea saepius confitetur cf. 258, 260, 264. Huc cadit, quod Iolaus in prima orationis parte de se suisque in hunc ipsum modum disserit (cf. 184—9 et 196): sese, quippe qui Argis expulsi sint, iam non esse Argivos, sed ξένους, ararum igitur praesidio tectos praeconi non licere reducere. Quamquam inde a versu 191 Iolaus exponit Athenienses tantum

[1]) Interea Klinkenbergius p. 73 adn. 1 versum 242 in suspicionem vocavit rectius facturus, si accuratius in hunc locum inquisivisset.

[2]) Pro librorum συμφορᾶς cum F. G. Schmidtio p. 89 et Herwerdeno p. 208 συννοίας scribendum est.

opibus valere, ut securi cum Argivis decertare possint. Sed hoc praeconem superbientem petit atque subsicivum est. Falsarius tamen hanc ipsam rem arbitratus est gravissimam. Itaque in eo quod Athenienses, si Heraclidas non tuerentur, ignaviae crimen subirent, argumentum invenisse sibi visus est, quo tuendos illos esse confirmaret. Atque ipse securus τρισσαί numero prorsus neglecto Demophontis orationem quarto ditavit argumento. Quo deleto ille reperitur rex vere iustus et religiosus, qualem Euripides eum esse voluit, nam officia omnibus aliis rebus postpositis praestare audet. Summa autem tria officiorum genera significantur. primum enim spectat ad ius divinum, alterum ad ius humanum, tertium ad ius civile. Puris igitur et piis causis ad tuendos Heraclidas ducitur, non gloriae cupiditate. Tum demum, cum praeco a verbis superbis ad facinus ipsum transit (267. 9) repulsusque minas iactat, irae plenus de ignominia ab Atheniensibus prohibenda verba fundit:

284 φθείρου· τὸ σὸν γὰρ Ἄργος οὐ δέδοικ᾽ ἐγώ.
ἐνθένδε δ᾽ οὐκ ἔμελλες αἰσχύνας ἐμὲ
ἄξειν βίᾳ τούσδ᾽· οὐ γὰρ Ἀργείων πόλει
ὑπήκοον τήνδ᾽ ἀλλ᾽ ἐλευθέραν ἔχω.

Atque re vera irati tantum vehementerque commoti est de propulsanda a se suisque ignominia dicere, non eius qui aequo animo agendi causas exponat, de arcenda ignominia non cogitatur nisi accepta aut ostentata saltem. Quare quartum argumentum Demophonti abiudicandum est. Ibi enim tanta animi aequitate est, ut nomina, si Eurystheus deferre voluerit, sese recepturum esse polliceatur (250—2). Neque nota solita interpolationi deest, nam et priora et posteriora compilata sunt, suum falsarius paene non addidit. Velim conferas:

[242] τό τ᾽ αἰσχρόν, οὗπερ δεῖ μάλιστα φροντίσαι· cf.
cf. 200 sq. ἡ γὰρ αἰσχύνη πάρος τοῦ ζῆν . . . νομίζεται
[243 sq.] εἰ γὰρ παρήσω τόνδε συλᾶσθαι βίᾳ ξένου πρὸς ἀνδρὸς βωμόν cf.
cf. 197 εἰ γὰρ τόδ᾽ ἔσται, 249 βωμοῦ τοῦδ᾽ ἀποσπάσαι βίᾳ.
[244 sq.] οὐκ ἐλευθέραν οἰκεῖν δοκήσω γαῖαν cf.
cf. 198 οὐ φήμ᾽ Ἀθήνας τάσδ᾽ ἐλευθέρας ἔτι cf. 286 sq.

[245 sq.] Ἀργείοις δ' ὄκνῳ ἱκέτας προδοῦναι cf. cf. 191 sq. οὐ γὰρ Ἀργείων φόβῳ τοὺς Ἡρ. παῖδας ἐξελῶσι γῆς. Vehementer offendimus, quod versus 243 sq. rem versibus 248 sq. monitam occupant, nam interpolatoris, non Euripidis est rem ipsam ex argumentis effectam argumentis inculcare. Verba vero a falsario ipso inventa καὶ τάδ' ἀγχόνης πέλας non tam cothurnum quam soccum decent.

VITA.

Natus sum Hermannus Goguel die XV. m. Sept. anni MDCCCLV Langenbielau, in pago incolis frequentissimo Silesiae. Fidei addictus evangelicae ab anno LXVI gymnasium Suidnicense per lustrum et sex menses frequentavi, deinde et duo gymnasia Vratislaviensia et unum Berolinense per singulos annos. Maturitatis testimonio exstructus et in universitate Halensi theologorum ordini adscriptus per sex menses audivi vv. dd. *Beyschlag, Brieger, Kaehler.* Deinde in universitate Viadrina studiis philologicis operam dedi per quinquennium scholasque audivi philologicas vv. dd. *Hertz, Ludwich, Reifferscheid, Rossbach, Weinhold*, historicas et geographicas vv. dd. *Neumann, Partsch,* philosophicas v. d. *Dilthey.* Ad exercitationes archaeologicas v. d. *Rossbach* me admisit.

Quibus viris optime de me meritis maximas gratias nunc ago semperque habebo.

THESES.

1) Eurip. Hel. v. 535—9 et 875 una aut stant aut cadunt: equidem eos eiecerim.

2) Loci apud Euripidem etymologici partim spurii sunt.

3) Continuae fabularum Euripidearum orationes multo faciliorem aditum interpolatoribus praebuerunt quam stichomythia inter interrogantem et respondentem discissa oratio.

4) Bernhardyus de Euripide in universum recte iusteque iudicat, de nonnullis tamen eius fabulis severius.

5) Heimsoethius eos, qui stichomythiam apud tragicos Graecos nusquam non indagant eisque inculcant, optimo iure refutat.